

5.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

De

# COGNITIONE VERI ANGELICI ET HUMANI,

QVAM,

S. S. TRIADOS AUSPICIO,

NEC NON

CELEBERRIMÆ FACULTATIS PHILOS. DECRETO,  
IN FLORENTISSIMO MUSARUM ABOENSIMUM LYCEO,

SUB PRÆSIDIO,

VIRI AMPLISSIMI

Dn. MAG. PETRI HAHN,

SCIENTIÆ NATURALIS PROFESSORIS ORDINARII,  
PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI MAXIME  
SUSPICIENDI;

PRO GRADU MAGISTERII,

EJUSQUE INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS CONSEQUENDIS SOBRIE  
PHILOSOPHANTUM EXAMINI PLACIDÆQUE CEN-  
SURÆ SUBMITTIT

PETRUS JOH: RING,  
BLEKINGUS.

AD DIEM 7. DECEMBRIS, ANNI M.DC.LXXXIX.

IN AUDITORIO MAXIMO HORIS AB OCTA-  
VA MATUTINIS.

ABOÆ, IMPR: APUD JOHAN: LAURENTI WALLIUM, A.T.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
SENATORI,  
ET  
THALASSIARCHO GENERALI,  
UT ET  
CALMARIÆ, BLEKINGIÆ ET OELANDIÆ  
GUBERNATORI,  
ILLUSTRISSIMO GENEROSISSIMO QVÆ  
DOMINO,

DN. JOHANNI  
*Machtmeister*

COMITI DE Bördöö/  
LIBERO BARONI IN Pahl/ DOMINO DE Almada/  
ET Johannes Berg/ &c. &c.  
DOMINO GRATIOSISSIMO!

VITAM LONGAM ET PROSPERA QVÆVIS!

# ILLUSTRISSIME COMES!

possim tractare de angelis, T quatuor  
sunt subtilia, initio creationis a deo  
creatae, varia sibi, qui terminat somni-  
adibilia, ut et variis aspectibus homini  
aperte ac clausi sunt, et sic a dicitur  
quod spectat eorum tractatio. 2 quantum  
pertinet enim substantiali species, si obiectum  
est et immateriali ab aliis signis separari.  
3. per paucos, signis separari.

Coe! Celfissime Heros, Augusti tui no-  
minis radios, nec montium jugis, nec  
terrarum spatis impeditos, sentiunt et  
iam populi, sub his frigidis astris lo-  
cati. Dum scilicet splendet virtus Tua  
ubique, & Nomen Tuum, totum, quaqua  
patet, orbem illuminat. Sane solis vi-  
detur circumducere jubar, quod ubique

lumen suum relinquit & vicina pariter atq; remota simul illu-  
strat. Novit de tanta fortuna sibi magnopere gratulari Blekin-  
gia, que parato est rerum preteritarum memoriis subsidio tacite  
quasi admonetur, in quam felices rerum vices sub Tuo regimine  
ivit. Facies enim ejus miserabilis satis tunc erat, cum sonarent  
per aera fremitus armorum, trepidarent inter cineres incendio-  
rum, quibus fumabant civitates, populorum reliquiae, incubau-  
rent terris ubiq; caligo mæstiae, pavor exitiorum, & alia que  
in eversa ab hostibus regione, calamitatum spectacula possint de-  
prehendi, eminerent; ast pace omnibus exopta issima affulgente,  
commendata erat tua fidei, præter alias, Regio hec periculus undique  
circumsepta, ut sub Tuis Auspicis, gloria ejus, in solenne secuit

prologe - ad ipsa te ac mo-  
re representatione, ita ac prædicacione spe-  
ciunt. Sed dicit quis et angelus Iudea

monumentum, novis accessionibus exsoeret. Factum etiam hoc  
esse, ipso eventu comprobasti; à quo statim circa gubernationis ini-  
tia, non rudimenta aliqua minoris momenti, sed miracula ma-  
gna vidi etas, exceptit fama, servabit eternitas. Verbo dicom-  
ent hec regio ab omnibus periculis liberata, munimentis novis ac  
ornamentis cincta, & cuncta denique in duraturae securitatis contextū  
colligata. Quid? quod unquam Philosophi de optimo regimine tra-  
dunt, quodque Scriptores de recte administranda civitate suggerrunt, haec  
omnia Tu Celsissime Comes animo complexus representasti, &  
ut dicam, longe exsuperasti; utpote, qui in agendo celer, in eligendo  
perspicax, in ordinando efficax, proximis, simul ac remotis in-  
vigilasti, asfalsisti, consiluisti. Novisti etiam optime, quomodo  
inter procellas seculi, inter fluctus civitatum nationumque plus  
quam decumanos, navis Reipublice fuit servanda, velis remisque  
dirigenda & tuto denique in portum deducenda: haec non tantum  
perspecta, sed ad presentissimos etiam usus promta habuisti atque  
parata. Cetera vero heroica Tua facta sacro beic involvo silentio,  
trophaea signis hostilibus late extrectataceo, laudes eternitate di-  
gnis prætero, titulos & summorum operum elogia relinquo, que  
omnia una cum Nomine Tuo, temporum glorie sacro, interpretar-  
bitur videntibus sapientia, & posteritati conservabit auguste an-  
naliū labor, qui demum perfectus in eo consistet, quod omnia  
Tua opera tam tractu temporum dinumeraverit, quam multitudi-  
ne successuum persignaverit. Evidem, dum Tu Celsissime He-  
ros ex nutu Serenissimi nostri Regis, custodiam agis Sveogothici  
Regni, equum est, ut laudum Tuarum memoria ab historiis en-  
studiatur & vivo perennigue, encomio per seculorum amplitudinem  
circumferatur. Sed quis me buc inconsulti forsan animi rapuit  
turbo, ut verbis adeo obscuris illustria tua facta audeam nomi-  
nare? Ecce! Illustrissime Comes excusationis loco adsunt. ad  
limen

limen templi tui honoris, obsequia cultoris tui devotissimi, que una cum submissi hoc animi indice ad pedes tuos audet deponere. Depressit quidem, fateor, animum, ab una parte, Excelsti Tui Nominis cogitatio, sed statim ab altera erexit eundem spes tue bonitatis, que cum propitia aliorum obsequia admittere soleat, nec mea qualiacunq; excludi licuit cogitare. Suscipe ergo Gratiissime Comes, serena fronte ac placido vultu, leve hoc, quod tuis jam subjicitur oculis, obsequiorum nexibus insertum specimen. Indignum prorsus fatetur illud esse, ut tuum subeat aspectum, sed permittat Tua benignitatis facilitas, ut illud, quod in se valde est indignum, dignitatem ac splendorem a Nomine tuo accipiat. Inter ea Tua fretus benignitate, ad majora ejus auxilio progressurum me spero; qui pro Tua incolumitate, Deum immortalem assiduus precibus suspiriisq; sollicitabo, velit Te in seruos annos conservare, ut in posterum, sicut hactenus, vires, viges, splendeas Deo, Regi, Patrie, Tibi, Tuisq; mibiq;, qui, quoad vixero, maneo.

### Celsissimi Tui Nominis

Male refutari tractato de obage  
Metaph. qd. a ejis universitatis  
non permittit de entibus partie-  
bus in genere, et scilicet propter no-  
ne et determinata peditate abstract-

Devotissimus cultor

PETRUS RING.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
PATRI ac DOMINO,

# DN. CHRISTIANO PAPKE.

Ut antea in Academia, quæ *Londini* Scanorum est, Primario S. S. Theologiæ Professori celeberrimo, templi itidem Cathedralis Præposito & Pastori Germanico famigeratissimo; sic jam Ecclesiarum per Sciam & Blekingiam EPISCOPO eminentissimo, Academiæ Carolinæ PRO-CANCELLARIO magnifico, vener. Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, MÆCENATI ac DOMINO pia mente æternum devenerando:



Iu quidem dubitavi, num ignotus prorsus, Tibi, Reverendissime Episcope, levioribus hisce obstrepare sustinerem, preprimis cum vastas illas curarum moles, quæ nova dignitatis spatia ingressis occurrere solent, humeris Tuis incumbere noverim; vicit tamen hanc dubitationem deum, decantatus tuus favor, quo, velut repentina luce perfusus & novo vigore auctus, tenuitatem meam, calamo interprete, apud Te, ausus fui insinuare. Accessit pariter hisce, quod gratulationis munere, eadem hac occasione, licuerit mihi defungi, cum post acerbiora fata, videam patriam meam in latiorem rerum statum erectam esse. Dits enim erat ille omnibus ater satis atq; funestus, quo binos sibi Antistites eruptos esse clamabant cives; jam vero iterum, depulsis istis mœrorum nebulis, letus & placidus exortus fuit dies, qui omnium ora, in laudes, grates & varie pietatis

tis officia laxavit. Et sane nec immerito in tantum gaudium effusa triumphat patria, que Te ipsum tamdiu desideratum, tot votis expetitum novis applausibus, novis etiam excipit gratulationibus. Norunt namque singuli, qui non prorsus hospites sunt in Svevia, quanta sunt Tua opera, depre*dicant* cunct*ia* tua facta, extollunt omnes Tu*a*merita, quorum, sive*l* minimam partem ego angusto tempore constrictus enarrare tentarem, magna certe & major mea voce dicendi exsigeret materies, rerumque undique, amplissimarum circumfunderer copia. Verum, ut alis hoc ipsum relinquam, ad id, quod meo proposito propius est, accedam. Namrum, ut Tibi, Reverendissime Episcope, hunc ingenii mei fætum, non quidem qua debui, sed qua potui sinceritate elaboratum, offeram. Quem, ut etiam in perpetuæ devotionis & observantiæ documentum, cultus & honoris monumentum Tibi dicatum, oculis, ut soleas, benignie adspicias, enixe & humilime oro atque obtestor. Patere exiguae hasce pagellas lucem, quam desiderant à Tuo Nominе habere, & eorum Auctorem favore ac Patrocinio Tuo in posterum complectere. Vive interea diu, Reverendissime Episcope, contingat Tibi secura prosperitas, habeat fama Tua incrementa, cui ad summum in terris nomen nihil deficit præter perpetuitatem. Conseruet te Deus, ut eruditione tua attollatur patria, promoveatur hominum salus, vigeat ac in perpetuum floreat vera religio, ceu dovet, exoptat & precatur.

11

### Tux Reverendissimæ Amplitudinis

Attributa in bellis exercitacione inter intellectu*al*itatem & voluntate, retine*re* rotundam, exercitantes ali*o* ut*ib*, plausib*er* et & rapti*ta*  
Subjectissimus Csiens  
PETRUS RING.

attributa denominant intelligenterias,  
Robustæ personæ, prærogymnica. quia illi dicitur  
quod dicitur morte res ne, ut de tibi  
gymnica, exercitantes ali*o* ut*ib*,  
sed prærogymnica, exercitantes ali*o* ut*ib*, in con*creto* exercitantes quod idem per intellectu*al*em dimicando

Ingenii, virtutis & natalium gloriâ, perexlimio Juveni,

# DN. PETRO RING,

Philos. Candidato dignissimo, de nobili hâc matèria, pro gradu in philos. obtinendo, nervosè & eruditè differenti:



Uid juvat ad lychnum multas consumere noctes  
Musarumq; sacris invigilare diu?

Proderit aut magnis quid sumptibus ire remotos  
Scicelidum ad fontes, atq; Lycea procul?

Ni ferat ingenii fervor, labor improbus atq;  
Præmia que Pallas pergit amica dare;

Præmia que nunquam sunt interitura, bonosq;  
ad periles curas exstimulare solet.

Gratulor ergo tuis, mi RING doctissime, curis,  
grandibus & vasti dotibus ingenii,  
Pondus ad optatum quas auxit plurimus ardor  
Virtutis, nec non, intemeratus amor.

Ingenii specimen præsens, plaudente Minerva,  
exigit ut citius digna brabea feras,  
que caput exornent, auro fulgente corollâ,  
et titulo nomen Splendidiore tuum :

Sic redis in patriam, cunctis gratissimus hospes:  
usibus hanc quoniam condecorare vales.

Macte! tuis studiis, divina potentia, sacro  
Annuat afflatu, nomen ad astra ferat!

Hec pauca subito, sed alaeri ani-  
mo scripta

JOH. FLACHSENIUS

Fac. Phil. h. t. Decanus.

Si in modi ipsius locum medii  
dividatur, t' quodam diversi mediae  
langsam oblate, sic hoc medium vult In-  
clusum non vult. T' quodam diversa  
effete extinguer. sic rotantur ap-  
petitiva officia non, quod est inven-  
tum, vel defl. t' eadem quo valuit.

# In Disputationem Gradualem

VIRI JUVENIS

Sanioris Literatura præstantia, Virtutumq; venustate  
multò politissimi,

## DN. PETRI RINGS,

Philosophiae Candidati meritissimi, Amici & com-  
militis impensè dilecti:

 *Mui Homo per Naturam desiderat atq;  
Verum scire cupit: dixit Aristoteles.*

Hac in notitia cunctis excellere pulchrum est,  
illam, ut sint pauci, qui reperire queunt.  
magni quippe Viri studiis qui tempora cuncta  
impendunt, verum querere semper amant;  
alpernantur opes, & quicquid fœda voluptas  
desidiae nutrit, ingerit, abjiciunt.

*In cognoscendo vero, se quâ ratione  
Intellectus habet, promis id arte novâ;  
Angelicum nec non Humanum cogito, de quâis  
edis discursum, Marte, sagax, proprio.*

Materies rara est, quam vix intelligit, ora  
qui non Pieris sit madefactus aquis.

überis Ingenii specimen profers in apricum  
dum res abstrusas peniculare velis.

Qvod multi largo sudore parare laborant,  
tempore, tu solers, expeditis omnis, brevi.

Hinc tibi continget laus & manlura per ævum  
fama, tuo studio digna brabéa feres.

Non dubito, porrò quin inclarescere pergas  
Artibus, hoc ævi flore vigente tui.

Deniq; de toto tibi grator pectore & opto  
Perpetuum, pleno ut Numine letus agas!

L. Mq; ut festinatim scripti

SIMON ZÆPO Ab.

Met. & Log. Prof. Ord.

*Si non secesserit in aliis gaudijs C. Beatus co-  
securis latit, quia bona non raffrontare agere  
melius nec trahi bonorum sicut pessimi laboris  
contingentiaq; agendi et non agendi. Obsec-  
rabo te qvod actus immorantis, qui alibi  
in et ipse voluntaria et nobilitio sum*

Viro Juveni, ut natalium splendore, ita literarum gloria maxi-  
mè conspicuo, Pereximio & Clarissimo,

DN. PETRO RING,  
Sanioris Philosophiae Candidato meritissimo, Ami-  
co, patriotæ & commensali hono-  
ratè dilecto :

**V**irtutem raram, quæ dicta à pondere veri,  
Divinum donum cælitus esse datum;  
Quo majus nec homo capere, aut etiam dare possit  
Cœlicolum Rector terrigenis miseris,  
Dixit Plutarchus; sed filia quod jovis esset  
Afferuit quondam Pythagoras sapiens,  
Angelicæ menti, *Tu*, verum quomodo inesse  
Nec non Humanæ dicitur, ipse doces  
Subtili Scripto, quod præsens quodque futura  
Ætas extollet, *Te* celebrabit item.  
**A**dmiror certè poteris quod tempore curto  
Ingenii specimen ponere tam egregium.  
Iccirco ex animo mihi gaudeo, sed *Tibi* grator  
Insignes dotes, grandia dona animi,  
**A**uguror & credo spem me non fallere posse,  
Quod fias patrii fulgida stella soli.  
**I**mmodò ter felix mox indepturus honores,  
Quos meruit virtus solitusq; labor!

*præclaros & supra etatem studiorum profectus  
ex animo gratulatur*

PETRUS HAHN,  
Prof. Physices.

DISSERTATIONEM PRO CONSEQUENDIS HO-  
NORIBUS ACADEMICIS INAUGURALEM,  
Viri-Juvenis, eruditio*n*is & morum elegantia perquam clari,

DN. PETRI RING,

Philosophiae Candidati longè meritissimi,  
Carmen Σωστενίον.

**V**ERI PRINCIPIUM quām voluit seqvax  
Alto Democriti turba reconditum  
Concludi puto, hinc atque potentiam  
Quantacunque hominum, aut viribus extrahi  
Haud posse ingenii! Sceptica quamque item  
Post vesana cohors omnia fluctibus  
Ceu mixta ancipiti mergere turbidis  
Verō nixa fuit: notitiæ afferens  
Certæ imò esse nihil! Qui potē &, inquiunt,  
Stet librata suo ut pondere VERITAS,  
FULCRUM principii n̄ fuerit, simul  
Et centrum stabile ei? Principia ast sui  
Quo pacto steterint absque CRITERIO  
Immota? ipsi iterum quīve criterio  
Constatbit ratio, n̄ adfuerit novum,  
Hoc, per quod poterit stare, criterii?  
Cum sic, PRINCIPIUM quod fuerit, PETI  
Credant, atque proin, usque quod objici  
Opponique queat par rationibus  
Momentum paribus, suppeterem; hinc putant  
Quendam in præcipites hos male CIRCULUM  
Prolabi, quibus est cunque fiduciae  
Tantum, tantaque vel dissimulatio,  
Ut certum esse velint, & stabile afferant  
Veri judicium, quidve scientiæ,

Canon n̄ sit est in intellectu, quod o*n*o*m*  
Sunt in sensu. Difficiliter enim n̄ sit in  
in intellectu, sed in partitur, et in  
anopere, sensu non est medium in intellectu  
ni sensu, sed in partitur, n̄ posse in de  
re non anopere sed in partitur, n̄ in quantum  
in intellectu, sed in intellectu experatur.

Quid? quod, redditâ sors cui sacri Apollinis  
Uni terrigenum detulit omnium  
Virtutem solidam & vim sapientiae:  
Hic, inquam, sapiens, atque Academica  
Gens perplexa simul, notitiae hoc suae  
Ut primum esse tenent, sic etiam ultimum:  
Semet scire NIHIL, praeter id unicum.

Hæc, plura & genus id, quæ veterum sophum  
Huc portenta ferunt insipientium  
Noctes & tenebrae, fax meletematum  
Horum, ac ingenii vivida claritas.  
Nostrarum Aonidum deliciæ & decus  
PETRUS RINGIUS hic quam attulerit, dabunt  
Discussa egregie. Scilicet hæc, quæ adest,  
Firmis PRINCIPIIS pagina proditis,  
Subtili explicitum it solicitudine,  
Metæ quæ fuerint, qui quoque carceres,  
Quæ inter COGNITIO & prodeat, instet, &  
Demum substiterit, quam, supera incolunt  
Qui tempe, teneant SPIRITUUM chori;  
Quam NOSTRIQUE ANIMI, vincula corporum  
Quos stringunt gravia, & fallere sensuum  
Vis quandoque solet, possideant. Eho?  
Sed macte ingenio; imò ausibus his tuis  
O NOSTER, zephyri nunc faveant, precor,  
COELESTES placidis auspiciis! Tu item  
Adsis CASTALIDUM turba novena jam,  
Huic Lauro viridi tempora cingito,  
CLAROS, quos meruitque, & TITULOS para.

Affectus & officii, quam Lyra, fide in-  
tentiori cecinit  
SVENO DIMBERG,  
Math. Prof. Extraord.

# Candido Lectori Salutem!

Etem inter mentis humana cogitata, vix ultra  
majorem merentur commendationem, quam quæ  
intra rectitudinis orbitam constituta, sublimi-  
ores aggrediuntur veritatis speculations, quæ  
Poli, haud immerito, rerum dicantur, supra quos  
qui circumfertur, ærem semper habet liqui-  
dum atq; serenum. Sed sicut cum alio rebus  
alte reconditus, ita cum ipsa veritate comparatum est, ut, quo  
suerit nobilior, eo etiam inventu est difficilior, latet enim in profun-  
dis rerum thalamis, unde magno cum labore ac sudore venit eru-  
enda. Causa vero harum difficultatum, quibus nostræ cognitionis  
veritas est obstruta, non necesse est, ut foras queramus, cum il-  
lam intra nos ipsos facile deprehendamus. Nec est, ut semper apertura la-  
tentia obscuritatem hec obvertamus, quin potius caliginem men-  
tibus nostris affusam deploremus. Postquam scilicet miserabilem  
divine virtutis jacturam fecissent primi nostri parentes, obcepuit  
mentis nostræ acies fædis circumfusa tenebris, obstupevit sensu, e-  
languit visu, ut cælum rellia oculis suspicere, aut radiancem veri-  
tatis locum intueri, homini perquam difficile sit. Hinc mirari nou-  
subit, quod Philosophi, etiam orbù judicio sapientissimi, imbecilli-  
tatis sue memores exclamare voluerint, se unum hoc præ ceteris  
scire, quod nihil ex omnibus scirent, quodq; omnia tenebris essent in-  
voluta & adeo dense ignorantia caligine circumsepta, ut quacun-  
que ratione vel quibuscumq; mediis, veritas possit inveniri, humano  
ingenio vix videtur posse explicari. Ex quibus omnibus, modo haud  
difficili, deprehendimus veritatis bujus difficultatem, quam etiam  
aliorum Philosophorum ad eam adspirare nitentium indefessa labo-  
rum multitudine, quamq; tanta opinionum controversarum & inter-  
se dissentientium varietas, tantoq; hominum veritatem recte & so-  
lide perspicientium paucitas, luculentissime comprobat. Quid ergo  
de mea tenuitate dicam, dissimilare sane videtur illa, ne iam ar-  
duum & in obscuro postum negotium aggrediar, quod vix Catonis,  
aut alio limato, nedum meo, non dum sati firmato ingenio rite  
potest explicari. Sint tamen hæc utut sint, pugnabit pro me, diffi-  
cilia

cilia quod voluerim suscipere, et si illa feliciter satis non posui exponere. Modum autem quod attinet, quem in hoc Philosophandi genero fui secutus, scias me certe methodo non adeo alligatum, sed libere & solute in vero inquirendo fuisse versatum. Nec quicquam volebam admittere, nisi id, quod rationi & veritati congruam esse deprehendi, cum semper illustris ac praelata visa est mibi illa ratio philosophandi, que non tam dientis autoritatem, quam dictorum veritatem examinat & ponderat. Terminos interdum adhibui Philosophorum, non ut meum discursum, sicuti alii clamitare, obscurarem, sed ut illum quam maxime illustrarem, & que alias fuissent prolixiora, in brevi quadam quasi tabula representarem. Paucis dicam, iniunxit mibi habitudo materie, ut magis illae attenderem voces, quae penetrantur res ipsas exprimerent, quam quae alias deliciora ingenia placide moverent; qui queso enim ratione potuisset Cognitio hac Veri demonstrari, absq; accurata consideratione statuum & representationum, quomodo possent res ipse a suis materialibus liberari & precise in sua quidditate spectari, sine examine abstractionum & conceptuum, siquidem solius abstractioni beneficio, res concretae atq; composite distincte apprehenduntur, & per omnia intellectui exacte representantur. Oggerant ergo quidquid velint rigidi terminorum censores, qui illos quasi minus ciceronianos proclamant, qui cum illorum praestantium aut utilitatem assequi nequeant, invidiosè malunt illos vituperare, quam imbecillitatem suarum virium hec nominare. Sed mitto hecce. Nunc tuum erit, Cand. Lect. protua, qua es aquanimitate, benigniori oculo hecce perlegere, & si nec temporis brevitas nec ingenij tenuitas permisserit, omnia adeo exacte penetrare, nec ad tantæ perfectionis limam, quam suo jure exposcit materia hujus sublimitas, examinare, mitiorem tuam expecto censuram, enixerogans velut, si qua præter spem, minus commode tradita sunt, illustrare, emendare, & minus severo supercilium aspicere. De invidia autem & malitia non liquor, qui pro more suo solito fremant, gemant, inflent, mordent, & infelicem suam lingam bonorum convitio exerceant, ego interrecessi conscientia fretus in hoc acquiesco, quod noverim vitia semper ab illis laudari, virtutes autem contra vituperari. Sit ergo iam in Nomine Domini



## CAPUT I.

**N** quo quæstio datur de vero & falso in intellectu creato. Ab in creato removetur omnis falsitas. absq; speciebus intelligibilibus Deum intelligere afferitur. Contrà entia creata per species. Quid conceptus formalis. quid status. Quomodo illis res insunt. Hominis cognitio. Angeli cognitio per species fiunt. Harū origo. Scotti refutatio. Variæ sententiae de speciebus intelligibilibus in Angelis. Electio veræ. Deciditur quæstio primo proposita. Probatio nostræ sententiae. Existentia veritatis in prima mentis humanae operatione. Dissensus Aristotelis. Ejus explicatio. Veritatem proxime inesse conceptui contra Vasquez probatur. Cartesii opinio. Angelorum error. in hac re Scheibleri explicatio. Voluntatis objectum. Formatur status controversia de erroribus Angelorum. Habituum angelicorum existentia. Num detur Angelorum error in futuris contingentibus. Qualis cognitio futurorum. Angelos non esse cogitationes contra Cartesium, Poiret, & alios. Num species adæquate repræsentent Deum. Refutatio idæ Cartesii. Locutio angelica. Quomodo illis convenit. Aliter hæc fit cum Deo, aliter cum hominibus, &c. deniq; locutiones illorum inter se invicem traduntur,

### §. I.

**S**i quæ unquam alia, hæc apprimè difficilis inter Philosophos agitatur controversia, num intellectus creatus, angelicus nimirum & humanus, sit veri & falsi capax? Divinum statim ab omni falsitate excludimus

mus intellectum, utpote, qui omnia novit, modo quodam infallibili, simplicissimo & perfectissimo, perfectione tam *extensiva* (termino hoc accepto methaphorice ex mente *Sivarezii Disp. 30. Metaph. Sect. 15. n. 17.*) quod omne scibile, sive increatum sive creatum, ab ipso cognoscatur, quam *intensa*, quod, quæcunq; perfectio in scientia inventari possit, invenitur in scientia Dei; non ac si hæc scientia esset coagmentata ex pluribus scientiæ gradibus, ut alijs solet fieri in intensiva perfectione actuum & habituum, sed quod vera sit hæc ipsa, quæ nullo modo fluctuat, nulliq; falsitati sit obnoxia: certa, quæ excludit omnem errandi & dubitandi formidinem: clara & evidens, quæ sine variatione & mutatione, uno infallibili & immutabili intuitu, ex arce suæ æternitatis, omnia secundum suum esse, constantissime ac penitissime videt ac respicit. Et hoc quidem in propria sua essentia, quæ speculi est instar lucidissimi, in qua absq; additione specierum, omnes essentiæ ac perfectiones rerum creatarum eluent. Species enim ipsæ, cum involvant successivam quandam scientiam, nequeunt Deo tribui, qui uno simplicissimo actu omnia intelligit. Et nec opus habet Deus his speciebus, nec eas admittit, cum per intuitivam cognitionem perspicit omnia; quia intellectus Dei non habet se, per modum potentiarum passivæ, aut per modum habitus, sed ad modum actus purissimi & ultimi, quatenus per suam intellectionem actualis est, *Klootz Pneum. pag. m. 657* Nam sicut Potentia Dei intellectiva est ipsa Divina essentia, ita etiam actualis ejus intellectio non sit nisi per Divinam essentiam, nullis omnino intervenientibus speciebus intelligibilibus. Dicimus adhuc nullas intervenire species, quia quod hæc in cognitione angelica & humana præ-

præstant, hoc in divina, ipsa essentia. Nam sicuti species sifit objectum potentiae creatæ cognoscitivæ, quod alias extra eam in mundo suum habet esse reale; ita cum Deus cognoscat suam essentiam, videt in ea omnes essentias creatas. Imo seipsum videndo & intelligendo, simul etiam scit & intelligit omnia alia extra se. Aliter autem longe sese res habet cum intellectu creato, qui, per varias operationes, specierum impressiones & habituum accessus, sua peragit officia. Non continet enim substantia creata omnia in se, ergo nec per eam potest intellectus omnia intelligere. Distantia & materialia cognoscit quidem, sed non per essentiam, quia licet illa sit valde perfecta, non tamen sufficit, ut suppleat vicem speciei intelligibilis, aliarum rerum a se distinctarum, quia hoc est essentiæ perfectissimæ atque adeo infinitæ. Et impossibile est, ut substantia immediate exeat de seipso, atque eadem manens, translata per diversa subiecta penetrat ad intellectum, in quo sedem figit *Scal. Exer.* 307. *pag.* 959. unde requiruntur media, quæ objectum cognoscibile uniuersum cum potentia creata cognoscente. Hinc absunt, multa quoad essentiam, quæ ab intellectu creato cognoscuntur, fiuntque ei per speciem sui præsentia. Media diximus requiri, ubi non tam multum intelligimus media, quæ dicuntur cognita, per quorum cognitionem aliud cognoscitur, quomodo causa cognoscitur per effectus, conclusio per principia, tanquam per media prius cognoscenda: Sed magis media putamus cognitionis, quæ nulla prævia sui cognitione, ducunt nos in cognitionem alterius, qualia sunt species intelligibiles in intellectu, sensibiles in sensibus, tam externis quam internis. Plane eodem modo ac in Metaphysicis dicuntur signa prius cogniti-

cognita *materialia*, non prius cognita *formalia*. Rudrauf.  
*Meth. p. g. VIII. p. 563.* Hinc habemus dicta Gnostologorum, qui *abstractiones* ac *conceptus* tanquam principia productiva & apprehensiva proponunt, quorum uno veritatem consequimur, altero eandem possidemus. Conceptus autem, quem nominamus, intelligitur formalis, qui optimè explicatur, per ideam vel qualitatem ex actu mentis relictam, qua mediante, intellectus res sibi objectas cognoscit. Dum enim res ipsæ, secundum esse reale intellectui inexistere nequeunt, vices illarum sustinent illæ ideae, res ipsas intellectui repræsentantes. Qualitas dicta est hæc idea, ex actu mentis relictâ, quia nonnullis ipse actus mentis, quo formatur talis idea in mente, dicitur actus formalis, quem tamen, ut discriminem inter ipsum actum mentis, & terminum istius ~~actionis~~ habeatur, non incommodè dicas *formalem formantem*: qualitatem autem ex actu mentis relictam *formalem formatum*. Et hi conceptus sunt apprime necessarii, quippe cum nequeat mens creata res ipsas penetrare intuendo, fingit rerum simulacra abstrahendo, quæ si rei sint conformia & similia, habet mens veram cognitionem. *Cal. Gnost. p. g. pag. 12.* puta *similitudinem* non *Physical* & *entitativam* sed *intentionalem* tantum & *objectivam*, ut loqvuntur Scholastici. Res enim ipsæ, in *statu* potissimum *fundamentali* consideratae, confusa sunt atq; concretæ, ut prolixe deducit *Scarff. in Tb. trans. Disp. 3. §. 7.* ideo sunt e *statu* *objectivo* *fundamentali* in *statum idealem, formalem & universalem* tanquam veritatis receptacula, deducendæ. *Gnost. From.* Et, ut hi status obtineantur, debent per abstractionem purgari Phātasmata, ut quæ sensibus apta, jam ad intellectualem cognitionem reddantur accommoda, quippe puriorem

ac abstractius, citra conditiones individuantes, omnia penetrantem. Explica tamen hoc de illis, quæ sunt ē multis, sive actu talia sint plura, sive potentia, non vero de eo singulari, quod non est nisi unicum, vel quod maximē singulare est, cui repugnat simpliciter esse e multis, quale est ens infinitum. Unde loco *status universalis*, deducitur in statum eminentem Cal. Nool. Alias verum est, quod, si specialiter loquamur de processu cognitionis humanæ, diffunduntur species sensibiles ab ipsis objectis, quæ primo à sensibus externis receptæ, deferuntur ad sensus internos, inter quos sedet sensus communis, Regis instar ac judicis in suo throno, qui ab externis sensibus tanquam ministris fidelibus delatas species recipit *Ant. Sperl. pag. 148.* Nec suo deest officio Phantasia, quæ propria sagacitate species sensibiles à se invicem distingvit, easq; examinat, & novas ad earum similitudinem efformat. Ubi accedit intellectus agens, qui speculatur phantasmatum, & quæ in illis latent, actu facit intelligibilia, eaq; distincta intellectui sistit patienti. *Mej. Gnost. p. g. 4. IV. p. 148.* Et hac ratione habet se intellectus patiens materialiter ac subjective, dum species recipit, effective vero dum ad actionem fertur, easq; species dijudicat.

## §. II.

Intellectum autem angelicum quod attinet, dicimus etiam illum uti speciebus in cognoscendis quibusdam objectis. quod non ita intellectum volumus, ac si lumen intellectuale in angelis non foret longe perfectius, quam in homine, cum habeant illi multas prærogativas, quibus homines in cognoscendo antecellunt. Quidque, dum homo tam longa & remote quæsita ratione cognoscendi utitur, dumq; species ubiq; sumit ab ipsis objectis, cognoscunt Angeli per

species partim concreatas & infusas, partim aliunde acceptas, ut de his in posterum erit agendum. Nunc autem probamus assertum valido hoc satis argumento: Si angelii immediate per essentiam, sine speciebus cognoscant objecta externa, sequitur quod intime forent illis praesentia, & in eorum intellectu continerentur, at falsum est conseq. E. antecepit: prob. conseq. quia si Angelii continerent objecta alia in suo intellectu, forent ibi vel *eminenter* vel *formaliter*, at hoc non potest dici, quia, tum secundum rationem formalem & definitionem, ibi adessent, ut inde funderent prædicationem intrinsecam, idque vel *inhesive* & *subjective*, ut objecta externa forent formæ accidentiaræ intellectui Angelico inhærentes, vel *identice*, ut origo quasi & radix forent, ex qua intellectus & intellectio promanarent, quorum utrumque falsum est; nec prius sine absurditate prorsus simili potest dici, quia solius Dei est perfectiones creaturarum in se continere *eminenter*, quasdam etiam *formaliter*. Addimus etiam hoc, quod intellectus angelicus interdum varietur & mutetur, ipsa essentia invariabili & immutata manente. Qvæcunque autem ita se habent, ut uno secundum rem variato ac mutato, alterum non varietur, illa omnino differunt realiter, uti hoc, pluribus cap. sequenti videbis probatum. Qvo obtento patet clarissime Angelum non intelligere immediate per essentiam, sed mediate, & medium aliud non potest constitui, quam species vel habitus. Qvomodo autem hoc pro diversitate objectorum, diversimode est explicandum, dicturi sumus, Deo volente, inferius, ubi ex professo agendum erit de vero angelico. Nunc vero hoc in loco, tantum erimus solliciti, de specierum harum origine, quam heic exponere tentabimus, antequam alias auspicemur controversias, ut, hoc tanquam

quam fundamento præsupposito, ad cetera quæ, dehinc evolvenda supersunt, expeditior aperiatur aditus. *Scotus in questionibus suis quas Quidlibetales, vocat, videtur de his speciebus angelorum intelligibilibus nihil certi velle determinare, cum adhuc de earum existentia dubitet, vel si dicat, eas dari, dependere eas afferit, tam in angelo, quam in homine, ab ipsis phantasmatisbus, & hoc non tantum in fieri, sed etiam in conservari.* Verum Resp. nequaquam nos sententiae Scotti posse subscribere, nisi simul ponamus angelos esse corporeos, & ad modum hominis, mediantibus organis, præprimis de objectis materialibus, species recipere, quod in se esse falsum, cuivis liquet. Ad posterius dictum Scotti, quod magis spectat ad cognitionem hominis, dicimus itidem hoc fallere, quod, sicut species intelligibiles dependent a phantasmatisbus in fieri, ita etiam in conservari, cum ne sensibiles quidem species, quas interiores apprehendunt sensus, ab externis sensibus, in sui conservatione dependeant, licet ab eisdem dependeant in fieri. Ratio est, quia ligatis adhuc sensibus externis, possunt sensas interni negotiari in apprehensionis speciebus, ut patet in somniis. Ergo nihil obstat, quo minus species intelligibiles absq; influxu phantasmatum & in homine, & in Angelo possint conservari. Vid *Ebel. in Coll. Met. Spec Diff. 7. Sect. 4. a. 3. pag. 173.* Sed restat adhuc dubium de origine harum specierum, num scilicet sint inditæ, infusæ ac concretae, vel etiam ab ipsis objectis acquisitæ ac receptæ. priorem fovet sententiam *Thomas. I. part. summ. Th. Q. 55. a. 2. Scum eo Suarez Diff. 35. Sect. 4. p. 20.* Præter Hereboordium & alios, qui huc etiam inclinare videntur. Posteriorem acriter satis defendunt commentatores Scotti, qui faniores suo magistro, hac in re ab ipso discesserunt. Nos autem

ut attendamus, quod probabilitati proximum est, putamus horum Auctorum sententias, aliquo modo posse conciliari. Nam primo quidem certum est, angelos in prima creatione, quarundam rerum accepisse species, earum scilicet, quæ maxime ipsis cognitu forent necessariae, non tamen omnium rerum, quia ita sciunt jam Angeli quædam, ut in posterum alia possint de novo cognoscere, & cum tempore ac variatione objectorum, augere suam scientiam, vel per revelationem, vel discursum, vel experientiam. Quæ omnia satis confirmant, Angelos non cognoscere omnia per species conreatas, sed aliunde etiam acceptas. Difficile equidem fatemur in his tam abstrusis, quid certi statuere, cum heic, si unquam, conjecturis magnus sit, locus. dum enim feliciter ab una parte evitare conemur quarundam opinionum syrtes, veremur ne ab altera parte incidamus in aliam magis insidiosam Charybdin. Nam, si Angelos species ab objectis recipere statuamus, videatur hoc nobis obstare, quod vix possit explicari, qvomodo species rerum materialium recipiantur ab angelis, qui sensibus destituuntur. Quippè, quod nos per species intelligamus, fit ideo, ut antea diductum est, quia nostra cognitio incipit a sensu & perficitur ab intellectu, quo species sensibiles ex statu singularitatis in statu idealem & universalem deductæ purgantur, unde phantasmatæ, & ex illis iterum species formantur intelligibles: Quod de Angelis non procedit, quippe, qui ut sensibus careant, ita nec per species, hoc modo, à rebus abstractas possunt intelligere. Ab altera vero parte, quod non omnes species sint conreatæ, pugnant argumenta antea allata, præter hoc, quod ex omnibus his speciebus sibi inditis, omnium rerum cognitionem haberent angeli, quod ipsis adscribere nemo adhuc

adhuc ausus fuit. Unde videtur recentioribus Philosophis non adeo improbare, angelos præter species concreatas, quasdam etiam de objectis sumere, servata tantum proportione, quæ est in homine per sensus, & in Angelo sine sensibus, cognoscere materialia, & ut objecta, mediantibus sensibus, inprimunt intellectui species, ita Angelis, sine ministerio sensuum, concurrente intellectu agente, species posse inprimi autemant. Hoc autem certum est, angelos ad suam cognitionem requirere species, aut illis analogū quid, quocunq; demum modo illas accipient, quascq; ex analogia, quæ inter hominis & Angeli cognitionem intercedit, non male explicant Autores, hac saltē observata cautela, quam, unico verbo, in initio hujus paragraphi insinuavimus, ne eadem utrobiq; ponatur perfectio, sed Angelis præ hominibus, tanquam creaturis excellentioribus, major, circa species, perfectio tribuatur.

## §. III.

**U**t eo revertamur, unde fuimus digressi, aggredimur controversiam, in limine hujus discursus indigitatam, primo de vero & falso intellectus humani acturi. Ubi statim antequam Auctorum adeamus judicia, intellectui adjudicamus veritatem, eumq; ab hac veritate accidentaliter perfici ac denominari putamus, & hoc non tantum, qua secundam & tertiam, sed etiam qua primam mentis operationem, de intellectu enim *composito*, seu *veritate enunciationis*, tum *consecutionis*, nullum est dubium, de intellectu vero *simplici* & *veritate incomplexa*, quæ cernitur in terminis simplicibus, res magis videtur intricata. *Thom. p. 1. Q. 16. a. 2. de int. Cap. 1. Lect. 3. c. g. cap. 59. & g. 1. de vero. Pasquez. pag. 1. Tom. 1. Disp. 7r.* cum aliis Scholasticis omni modo defendere conantur, hanc veritatem

tatem tantum dari in conceptibus complexis. Contra vero Fonsec. Met. l. 4. Q. 6. Sect. 4. Suarez. Disp. 8. Met. Sect. 3. Jac. Mart. Disp. 5. Met. Q. 3. probant prolixè eam dari in conceptibus simplicibus; Horum sententiam tanquam verissimam approbamus nos, afferentes tam ab ipsa experientia, quam ex sana ratione, intellectum hominis, qua simpli- cem apprehensionem, veri esse capacem: Ita tamen, ut hæc mentis operatio sit conjuncta cum judicio quodam implicito; alias non tam rerum, quam vocum erit cognitio. Ille enim, qui concipit hominem constantem, anima rationali & corpore organico, seu, qui terram percipi- pit, corpus quoddam crassum, aquam, corpus quoddam humidum, procul omni dubio, format conceptum objecto conformem; in quo puncto consistit hæc veritas. Unde argum. fluit: ubiunq; datur conformitas rei & intellectus, ibi datur veritas, at inter conceptus simplices & terminum eorum seu ipsam rem, datur hæc conformitas E. min. sua satis clara radiat luce. maj prob: quia verum hoc in eo consistit, sicut Cap. 3. declarabimus, ut convenientia sit inter conceptum formalem & objectivum, seu rei & intellectus cognoscantis rem, & simul etiam adsit proportionis adæquatio, quæ facit, ut species sit rei adæquata & auctæ congruens. Alstedius lib. XI. Encyclop. part. 1. Met. c. 8. pag. 548. & 547. dicit ridiculum esse hunc errorem Logi- corum, qui statuunt veritatem esse tantum affectionem orationis sive propositionis. Nam cum composita dependant à simplicibus; necessum est ut veritas complexa de- pendeat ab incomplexa. Vis conclusionis hæc est: si de- tur veritas in secunda & tercia mentis operatione, infer- tur illam dari in prima; ratio est, quia secunda & ter- tia mentis operatio, habent se ad primam, tanquam par- tes

tes ad totum, quidquid autem afferitur de partibus, illud de toto erit asserendum, ut pluribus hoc probant Gnostologi. Alii vero, qui adeo anxie laborant pro stabilienda contraria sententia, adducunt ex textu Aristotelico, varia loca, ubi Arist: secundæ mentis operationi veritatem & falsitatem tribuit, utpote. lib. vi. Met. text. 8, *Ens aut verum & non ens, ut falsum in compositione & divisione cernitur* lib. ix. Met cap. XII. eandem adstruit sententiam, & adhuc lib. III. de anima c. VI. sect. 21. *At in quibus jam veritas & falsitas inest, in hisce compositione quedam est conceptuum intellectus, quasi ipsi sint unum.* Sed rejiciuntur hæc eadem facilitate, qua afferuntur, cum faciles largimur, veritatem non esse in prima mentis operatione, ad eum modum, quo est in secunda operatione: quæ mens fuit etiam Aristotelis, ut patet ex clarissimis verbis lib. XI. Met. Cap. XII. ubi ipsam proponit controversiam, hisce verbis: *circa composita vero, quid est esse, aut quod verum aut falsum?* non quærit an in incompositis, id est, prima mentis operatione, sit verum & falsum, sed quasi dari supponens, quidnam utrumque in iis sit, quærit. Jam Resp. non dari in prima operatione verum & falsum eodem modo, quo in compositione & divisione. *Non enim, inquit, in his est compositum, ut sit quidem, si componatur; non sit autem, si sit divisum, nec verum & falsum in iis erit similiter.* Tandem quomodo insit hæc veritas, exponit ita: *Sed illud quidem verum, scilicet in incompositis, hoc falsum est.* *Attingere namq; objectum ac dicere verum est: non enim idem est affirmatio ac dictio; non attingere est ignorare.* Vid. lib. III. de anima cap. VI. text. 26. quibus verbis clare satis ostendit Philosophus, dari verum in prima mentis operatione, hoc ipso, quod per eam apprehenditur objectum, uti est. Paucis ut rem expediamus,

videtur diversitas, quam inuit Arist: in eo consistere, quod in simplicibus conceptibus sit hæc veritas tantum *Subjective*, in complexis vero *tam subjective, quam objective* h. e. ut optime rem explicat Mejerus, verbis e *Theor. Trans. Scarffii de lumperis*, quod per simplicem rei apprehensionē non omnino cognoscatur conformitas ipsius conceptus ad rem, sed hanc conformitatem perfecte tunc primum cognoscit intellectus, quando judicat, objecto cognito, id à parte rei competere, quod ipsi in apprehensione tribuitur. Vel ut adhuc, forsitan modo faciliori explicemus specialem illam rationem, videtur illa in eo deprehendi, quod in compositione, respiciatur cognatio & affinitas rerum, in simplici vero apprehensione non attendatur illa affinitas, sed unice objecti & intellectus conformitas.

## §. IV.

Juxta canonem: *Contrariorum est idem subjectum*, putamus etiam intellectum, qua simplicem apprehensionem esse veri & falsi *subjectum*, non quidem *proximum & immediatum* quod cap. 3. declarabimus esse conceptum formalem sed *remotum & mediatum*. Quidquid dicit *Vasquez* cum suis assertis, qui verum formaliter consistere dicit, non in actu intellectus, seu *conceptu formalis*, sed in *conceptu objectivo*, in quantum *objectivo*, datur scilicet sibi ipsi est conformis à parte rei. Sed quæriimus nos, quomodo idem sibi dicatur conforme, nonne heic sit potius identitas, quam conformitas. Veritas enim infert semper congruentiam ad aliud, at aliud quid non est hic, nam res ipsa objecta non habet aliud esse *objectivum*, præter id, quod in se habet, & dicitur *objectum*, ex eo, quod intellectus circa eam verletur; sed plura dehinc de hisce. Nunc de falsitate heic quam maxime observandum venit, quod quan-

quando dicimus eam inesse intellectui, attendas nos  
 non ita hoc explicare; ac si intellectus per se fallere-  
 tur, aut quod omnis ejus actus foret falsus, sed quod  
 ex accidente interdum fallatur. *Cartesum* nobis contra-  
 rium notamus *in medit.* 4. & *Resp. ad objectiones contra b. med.*  
 quod non mentem sed voluntatem, cum libero arbitrio,  
 affirmare & conjungere dicat, quæ ipsi videntur con-  
 sentanea, negare autem & disjungere; quæ non censet  
 esse consentanea, sive illa affirmatio aut negatio sit ex-  
 plicita, sive implicita. Sed quam falsa & a veritate ali-  
 ena sit hæc sententia, in posterum fusius demonstratum  
 ibimus. Heic sufficiat ad probationem nostræ assertio-  
 nis, experientiam in subsidium vocasse, quæ testatur  
 multos ita rem apprehendere, ut penitus introlpecta-  
 alind de ista re ferant judicium. Sic, si quis e longin-  
 quo hominem apprehenderet pro urfo, videt, dum pro-  
 prius accedit, se in sua perceptione errasse, adeoq; con-  
 ceptum objecto difformem percepisse. Et à fortiori,  
 dum homines rem fictam sub opinione realis existentiæ  
 concipiunt, ut putent hanc vel illam rem dari, & in natu-  
 ra habere essentiam realem & positivam, quæ tamen fi-  
 cta est, & præter esse objectivum in intellectu, nihil in se  
 habet, nonne ibi datur difformitas objecti & intellectus  
 concipientis objectum? *Difformitatem* putamus  
 non *in effendo* talem, secus falsus foret omnis conceptus,  
 siquidem nullus fere in effendo, suo objecto sit conformis,  
 sed *in repræsentando*, ut nempe actus intellectus ali-  
 ter rem, quam ipsa est, repræsentet. Nec est quod dicas,  
 hominem non posse esse certum, de suæ apprehensionis verita-  
 te sine judicio, cum constet ex antea dictis, illud debere adesse,  
 non quidem explicitum, sed implicitum ut exemplis hoc il-  
 lustrat

lustrat *Swarez sed. 4. n. 7.* & sequent. Aliorum argumenta, qui falso interpretantur Aristotelem, ac si diversum a nobis sentiret, tanti non facimus, ut ea ad refutandum proponamus; Nam etsi poneremus Arist. a nobis discessisse, veritas tamen exinde non periclitatur, cum nec ipse omnia vera docuit *Sperl. Inst. Phys. lib. 1. Q. 2.* Nec ipse utsi homo, norma est veritatis, sed natura *Fac. Mart. Exere. Met.*

## §. V.

**H**is iam plenioris evidentiæ ergo præmissis, tendimus recto tramite ad considerationem veri ac falsi Angelici, investigantes primo, num possint Angeli in sua cognitione aberrare, quod de malis, si respiciamus ad primam defectionem, qva quidam rebelles erga suum Creatorem, ab ipso defecerint, videtur affirmandum. Scheiblerus reddit rationem hujus defectionis, quod facta fuerit ex apparentia sublimioris gloriae, unde vult errorem præcessisse in judicio. Voluntas enim non fertur nisi ad cognitum, & quidem quod cognitum est, sub ratione boni & congrui. Ergo si voluntas non fertur in id, quod bonum est revera; oportet ut intellectus judicet id esse bonum, quod revera erat malum. Hanc sententiam Scheibleri quodammodo quidem concedimus, nam quod dicat angelos errasse, hoc testatur ipsum factum. Et porro, voluntatem non nisi in congruum ferri itidem recte asseritur, cum probari possit hoc ex voluntate humana, quæ nec fertur in malum qua tale, sed quidquid appetit, erit bonum, ad minimum formaliter, & sub ratione appetitionis, qualemcunq; illud sit in se & materialiter. Sed quod hinc infert Scheib. voluntatem nec Angelicam nec humanam, unquam posse errare, absq; prævio intellectus errore, forsan sibi non constat, cum contrarium possit verificari ab exemplo Medeæ;

vide

video meliora proboꝝ, sed deteriora sequor. Nec non ex dicto Poëtæ: fertur equis auriga, nec audit currus habens. Fatum quidem officium intellectus esse, mouere voluntatem, non tamen quoad *actus exercitum*, nam sic est ipsa voluntas primum movens, & prærequisita objecti cognitio, non tam causa motus voluntatis, quam conditio sine qua non, sed quoad *actus specificationem*, ut intellectus non compulſive sed persuasivæ judicat hoc esse eligendum, illud vero omittendum. *Vid. Pl. Rev. & Praclariss. Professoris M. And. Wanochii Disq. Pract. p. Spes. p. 439.* vel ut adhuc clarius dicamus, habet se intellectus ad voluntatem adinstar consiliarii, qui, consideratis omnibus circumstantiis, hoc agendum proponit, ejus tamen libertati relinquit, velit ne ita agere vel aliter. Et hinc est, quod intellectus interdum recte judicat, voluntate male agente. Totam rem ut in compendium mittamus, videntur illi nobis optime Philosophari, qui *dicunt formalem ignorantiam* non semper præcedere errorem voluntatis, uti hoc ex mente quorundam valet de Protoplascis & Angelis malis; fieri tamen plerumq; ut ad minimum præcedat *ignorantia interpretativa*, seu inconsiderantia sub opinione tanti mali non insecuri, aut culpabili securitate *vid. Pl. R. & Pracl. Prof. Wanochii Disq. pract. Part. Sp. p. 525. Horn. lib. 2. de lib. arb. Rudrauff. inst. mor.*

## §. VI.

**L**atus præter spem sese heic noster diffudit calamus ex occasione verborum Scheibleri, quæ ex ipsius *Met. p. Sp. p. 147. n. 131.* allegavimus, nunc regredimur ad quæsum, & ad statum quæstionis formandum, prænotamus, nos non agere de statu beato angelorum, quorum actus præprimis voluntatis semper rectos & puros esse asserimus. Nec secundo nostri est instituti agere de intellectu

eorum practico, inordinationis aut dissensionis produc-  
tivo, qui ubique sanctitati illorum repugnat *Cal. Tom. iv p. 82. 83.*  
Nec quærimus de illorum cognitione in supranaturalibus,  
necessarijs & naturalibus, perfectioni eorum debit is, quæ  
itidem ex unanimi Theologorum & Philosophorum con-  
fensu vera est & conformis: Unde autem sit hæc certitudo  
& conformitas haud parum digladiantur inter se Auctores.  
Saniores pugnant heic variis argumentis pro habitibus  
angelicis, quos quidam angelis innatos, quidam acquisi-  
tos esse afferunt. *Mej. in pneum. p. 5. p. 702.* contra Philoso-  
phos & patres antiquos, tale profert argumentum. *Si den-  
tur in angelis habitus morales, utpote justitia, veritas, à quibus  
denominantur veraces, justi, fortes,* non quidem per realem  
identitatem justitiae aut veritatis ad essentiam, quomodo  
Deus dicitur justus ac verax, sed quod sint proprietates  
& accidentia, intellectui ab essentia realiter distincto, in-  
hærentia & ad eam mutabiliter lese habentia: hinc infertur  
*dari intellectuales habitus, aut eis quid respondens,* quo intel-  
lectus in cognoscendo perficitur & ab errore munitur.  
Consequentia claret, quia sicut voluntas dirigitur habi-  
tibus moralibus, ita intellectus intellectualibus, juxta illud:  
*Similium est eadem ratio, Ebelius disp. 1. Coll. Met. Spec. Sect. 3. 4.*  
*1. p. 143.* argumentatur item: Quod de facto in intelle-  
ctu angelico contigerit error, ergo est capax habituum,  
& fiquidem boni amplius non errent, habent hos habitus.  
Vid. Autor. Cit. lo.

## §. VII.

**N**unc liquet ex statu quæstionis antea formato, angelos  
in revelatis vel necessariis nequaquam errare, sed num  
de futuris contingentibus aliquando in eorum intellectu  
(dum intra pure naturalia constituuntur) suboritur error,  
locus

locus heic erit disquirere. Quidam, inter quos est Rutherfordius, quæ situm affirmare non verentur, inducti procul dubio ea ratione, quod futura contingentia, præcipue illa, quæ ex libere agentibus dependent, non nisi probabiliter per conjecturas, ex signis & effectibus externis, utpote in homine ex mutatione vultus, vibratione oculorum, aut alio exteriori opere, possint cognoscere. *Ant le. Grand. instit. ph. a. t. p. 120.* cum ceteris ejus sectæ addictis, proclaimare non erubuit, nulla hominum cogitata, etsi occulta, angelorum sagacitati impervia esse. Quia mentis humanæ perceptiones seu determinationes in se ipsis non minus naturales esse, quam ipsam angelorum naturam dicit: *ac proinde sicut angelus proprias cogitationes contemplatur; non apparet, cur & aliorum angelorum & hominum cogitationes, non deprebendat; cum ejusdem sint rationis & in substantia convenienter.* Sed procul dubio, humani quid patitur heic *Le grand*, dum angelis, id quod proprium Dei est, tribuit, qui soli sibi reservavit, evidenter ac infallibiliter in interiora illa cogitata ac percepta penetrare, quod hactenus divinitatis fuit argumentum habitum certissimum & verissimum. Imo solius scientiæ divinæ actus est, neutiquam creaturæ, talia futura cognoscere, utpote cui internæ subjacent cogitationes & volitiones hominis: nam omnia illa, quæ ad liberam pertinent causam, ut sunt cogitata & volitiones, modo quodam perfectissimo cognoscit Deus. Contra vero, Angeli naturaliter tantum cognoscere possunt illa, quæ spectant ad ordinem naturæ, atq; liberæ cogitationes, nisi sponte manifestentur à cogitante, non continentur sub ordine naturæ, quia non habent connexionem ac dependentiam a causis naturalibus, sed a causa libera, ut tali: ergo ab angelis modo naturali nequaquam possunt cognoscere.

sci. Hinc convenienter satis & apposite dictum est à Thomistis, quod Angeli species cogitatorum humanorum non habeant concreatas: Nam ubi hæ dantur cum obiecto aëtu intelligibili, ibi ipsa fieri facile potest intellectio. Contingentia vero futura, quæ ex causis suis fiunt necessario, attingit quidem naturale intellectus angelici lumen, modo longe perfectiori, quam homo, dum per longam rerum experientiam colligit illud, quod alias cognoscere homini est denegatum; *notitia* tamen scias hoc fieri *probabili*, non *infallibili*, nam licet effectus naturales propendeant à suis causis, interim tamen dependent a concursu Dei, is autem cum liber sit, pro arbitrio divino suspendi potest, ut ea, quæ maxime naturalia sunt non eveniant; unde nec angelis naturaliter notum esse potest, num Deus sit hoc vel illud concessurus, vel modo quodam extraordinario impediturus. Cetera vero futura, casualia ac fortuita nequaquam possunt ab Angelis praesciri; quia nulla potentia intellectiva finita aliquid futurum esse intelligit, nisi ex suis causis, ex quibus talia contingentia futura praesciri nequeunt, siquidem causæ, cum agant contingenter, libero aut fortuito causandi aëtu gaudent, ut statim agere queant, statim non agere; adeoque an & quomodo causæ sint acturæ, praescire non potest determinate intellectus finitus, multo minus effectus futuros ex hujusmodi causis dependentes. Immediate autem Deum angelis aliquid revelare, dubium est nullum, dum nimirum bonis commituntur negotia apud homines expediunda, ut exempla hujus rei passim occurrunt in sacro codice; malis etiam tanquam carnificibus, quædam, quæ executioni debent mandari a Deo tanquam Magistratu revelantur. Unde sumunt multa

Dia-

Diaboli & ad sua vaticinia attemperant, suisqe persuadent mancipiis, ac si illa omnia ex se ipsis scirent. Sæpius autem fit, ut obscura proferant ac incerta, quæ ad varios effectus trahi possunt. Quod iudicium est haud obscurum incertæ ac saltem conjecturalis, in futuris, scientiæ: de aliis specialioribus vid. Scheibl. Met. p. S. pag. 152. Aug. Salil. 103. & alii.

## §. VIII.

**S**Ed videmus antiquos Philosophos, utpote contrariae sententiæ faventes, haud vulgari objectionis cuspidem aggressuros, propugnando Angelos, nec bonos nec malos, in sua cognitione errorem admittere, cum non modo aliquo illativo aut discursivo, sed intuitivo res omnes cognoscant. Sed veremur, ne, dum hi angelos ab errore vindicare conentur, ipsi in errorum devia & syrtes ferantur. Duplicem enim notare licet in his ipsorum verbis falsam hypothesin, primo, quod dicant falsitatem non inveniri in simplici apprehensione, quod ex antea disputatis, modo haud difficili refutatur. Secundo, quod Angelis denegent omnem compositionem & discursum, quod contra ipsorum placita jam probabiliter affirmamus. Nam, cum non intelligent immediate per substantiam angelii, sed per species, quas in se continet intellectus angelicus, nequeunt una intellectione plura apprehendere, sed distincta feruntur in hoc, distincta vero in aliud, adeoqe necessum habent, dividere quasi intellectionem juxta diversitatem intelligibilium; imo aliquando eandem rem dividunt in intelligendo, dum per plures inadæquatos conceptus debent illud apprehendere, quod a parte rei unum est: at hæc omnia non fiunt sine compositione & divisione. De *discursu* patet, primum *discreto*: quia

cognoscunt quidem angeli naturalia, non tamen simul possunt ab illis cognosci, ergo necessario cognoscunt illa successive, in quo consistit natura discursus discreti. Tum *continuo*: quia datur in intellectu Angeli dependentia intellectus ignotioris à notiori; utpote, dum signa plura ab angelo percepta deducunt ipsum in cognitionera rei alicujus, qui colligit ex eo, quod magis notum est, id, quod minus notum videtur, idq; cum quadam dependentia unius ab altero; non tamen existimamus angelos semper uti discursu, ut in illis, quæ ipsis nota sunt naturaliter, vel à Deo per species infusa; sed in illis tantum, quæ experimentalem eorum concernunt notitiam.

## §. IX.

**N**Um species intelligibiles, quas antea ex varijs rationum momentis Angelis adjudicavimus, aliquid ad hanc certitudinem cognitionis faciant, conseqvens est, ut videamus. In propria enim essentiæ cognitione species non adhiberi, luce meridiana clarius est, quippe quæ unice eum in finem requiruntur, juxta *Arist: l. 3. de Anim.* ut objecta alia faciant actu intelligibilia, eaq; intellectui repræsentent: at heic est objectum actu cognoscibile, intime præsens & unitum intellectui, ergo nec ulla opus repræsentatione. Vide *Bec. Tb. Schol. p. 1. tract. 3. Q. 7. c. 1.* unde cognoscunt Angelii se ipsos & ex propria cogitatione suum comprehendunt esse, sine tali interveniente medio, quale in aliis rebus cognoscendis requiritur. Quod tamen non sic accipendum volumus, ac si essentia angelorum, nihil aliud foret, quam quædam cogitatio, quæ fuit opinio *Cartesij, Wittiky, Petri Poiret, I.e grand & aliorum.* Quam tanquam absurdam & rationi & scripturæ contrariam refutamus. Ratio enim ipsa dictitat nobis, quod aliud sit aliqua res seu suppos-

positum, & aliud ejus operatio; cum itaq; cogitatio sit operatio entis intelligentis, non erit ipsum ens intelligens, sive Angelus, sed Angelo in suo esse spirituali constituto competit demum hæc cogitatio. Cogitationes etiam Angelorum sunt plures, quæ aliquando variantur: At essentia uniuscujuscq; est una & invariabilis. Si ergo essentia Angeli consisteret in cogitatione, foret Angelus unus & non unus, quod est contradictorium. Scriptura: S. vetat etiam ne vocemus Angelos cogitationes, sunt enim a Deo creati, ergo sunt substantiæ, cum terminus creationis sit substantia, non vero accidens; & deniq; ex sensu scripturæ, mittuntur Angeli, at cogitationes non mittuntur, sed supposita. Vid. Job. Ad Osian. Coll. confid. in dogm. Cartesianorum.

## §. X.

**Q**uomodo autem hæ species juvant intellectum angelicum in cognitione Dei, restat ut explicemus, res sane si unquam alia, difficilis est, & inter Philosophos controversa. *Bec. Th. Schol. c. i. Q. 10. p. 134.* negat omnem in Angelo speciem intelligibilem, essentiam ac quidditatem Dei abstracte repræsentantem. Thomas nec procul ab his discedit, dum angelos asserit intelligere Deum, non per aliquam speciem intelligibilem ipsius Dei ab essentia Angeli destinatam, sed per propriam essentiam, non solum tanquam per medium cognitum, sed & tanquam per rationem cognoscendi. *Scoti* commentatores contrariam prorsus tenent sententiam, putantes angelos intelligere Deum, per speciem intelligibilem essentiæ superadditam, quæ repræsentat exacte ipsam essentiam Dei. Nos autem nemini heic moturi litem, relinquimus cuivis libertatem, quamcunq; vult, eligendi sententiam. Propriis sumus contenti cogitationibus, quas heic apponimus, non ut alicui

illas obtrudamus, aut pro apodicticis venditemus, sed ut libere tantum dicamus, quid in re plane obscura sentimus. Dum Angeli considerantur, prout jam sunt quidam cives beatæ vitæ, existimamus illos cognitione beatifica, intuitive & absq; specie cognoscere Deum in essentia, uti est; sicut hoc comprobat ipse Christus Math. 18. dum dicit: quod semper intueantur faciem patris mei, qui est in cœlis. Alias verum est, quod quatenus intra pure naturalia & extra lumen gloriosum considerantur angelii, cognoscunt Deum per suam essentiam, tanquam per medium cognitum, quia per existentiam sui, scilicet effectus, ab ipso Deo pendentis, cognoscunt existentiam causæ efficientis & conservantis; nisi forsitan dicamus illos minoris esse perfectionis, quā homo est, qui ex seipso cognoscit sui dependentiam à Deo tanquam causa & creatore: cognito enim & apprehenso effectu, cognoscitur etiam aliquo modo causa. Speciem autem aliquam repræsentantem Deum, in sensu Scotistarum admittere non audemus, cum Deus sufficienter & intime intellectui angelico sit præfens & unitus propter indistinctiam. Præterea nec videamus, qua ratione poterit species de objecto infinito deducita, in subiecto finito existens, angelum deducere in cognitionem entis infiniti, cum notum sit ex canone, quod inter finitum & infinitum nulla sit talis proportio, ratione nimirum *inhesionis* aut *Physice comprehensionis Met. Photiniæ Exam. Andree Kesleri. Sect. 3. p. 362.* nisi forsitan cum Cartesianis incidamus in has absurditates, ut angelis æque ac hominibus ideas quasdam Dei, tanquam artificis notas impressas esse dicamus. Quibus admissis sequeretur & Angelos & homines ab ipsa natura, non tantum notitiam de existentia Dei, sed & illius effigiem, formam

ac speciem intra mentem habere. Nam si ibi detur idea, debet illa exprimere ipsam essentiam; juxta illud decre-  
tum Philosophorū idea semper suo respondebit ideato. Noti-  
tiam autem Deinaturalem tam *subjectivam* quam *objectivam* da-  
ri quidem largiter concedimus, sed inde colligere ideam  
Dei, tanquam expressionem essentiæ divinæ, inconse-  
quens prorsus est. Sed de his *as ev mēpōd̄y*.

## §. XI,

**M**erito heic descenderemus ad considerationem locu-  
tionis Angelicæ, qualem in illa habeant angeli veri-  
tatem expedituri; illos autem loqui tanquam certissimum  
asseritur ab Auctoriibus, nam sunt creaturæ intellectuales,  
quæ sensa ad invicem debent communicare, voce tamen  
locutionis purificata & sumpta non *abusive*, quomodo re-  
bus inanimatis tribuitur, *objective* tantum & *materialiter*, ex-  
citando nempe homines, ad deprædicandas laudes Dei.  
Nec sumitur vox hæc *strictè* in *sensu Physico*, quomodo ho-  
mini tribuitur loquela, ad cujus efformationem, præter ae-  
rem tanquam materiam sermonis, requiruntur partes cor-  
poreæ ut pulmo, larynx, fauces, lingua, dentes, labra, &  
aliam partem, *juxta Scalig. Def. I. de caus. l. 14. Sperl. antrop. c. 6. Q. 5. p.*  
*290.* qvæ in Angelis, utpote omnis compositionis ex partibus,  
quantitatibus expertibus non reperiuntur. Sed accipitur vox  
locutionis *generaliter* pro communicatione conceptuum in-  
ter Angelos facta. Dicimus inter angelos, nam de loquela eo-  
rum cum Deo, aut cum hominibus aliter est judicandum.  
Cum Deo loqvuntur, non ut aliquid ipsi manifestent, nam  
nihil unquam latet illum, qui omnia, modo quodam per-  
fectissimo sibi habet cognita atq; perspecta, sed ut dirigant  
ad ipsum sua desideria & cogitationes, collaudando ejus  
bonitatem & admirando ejus majestatem. Cum homi-  
nibus

nibus plerumq; loqvuntur, cum assument corpora, quæ, juxta communem sententiam, habent ex aëre condensato, & si opus fuerit ob colorum varietatem, particulas terræ & aquæ, quæ ratione *existentie* spectatæ in se habent principia chymica, admiscent. Hæc ipsa corpora ad tempus actuant, non per *modum formæ informantis*, nam sic fo- rent vera corpora naturalia, sed per *modum formæ assisten- tis*, movendo illa & articulate in illis vocem & sermonem imitando. Hinc manet nos sollicitos tantum esse de locutione illa, quam inter se habent Angeli: sed quomodo fit hæc ipsa, difficilius erit in hac mortalitate determinare. Quidam excogitant signa quædam spiritualia, qvæ ex parte audientis dicunt esse cognoscibilia, qvæq; eundem in cognitionem actuum loquentis occultorum perducere valent, *Meieri Pneum p. Spec. pag. 730.* verum, ut alias ratio- nes heic taceamus, sufficiat dixisse ipsos harum cogitationum autores, ne quidē posse definire, quid per sua signa spiritualia intelligunt. Alii putant Angelum tunc loqui, quando sua voluntate ordinat conceptus suos ad alium, à quo vult eos intelligi; hanc sententiam pluribus, quamvis frustra, propugnat *Thom. p. 1. Q. 107. a. 1. 2. 3.* quem tamen refutat *Rudrauff Met. p. Sp. p. 935.* Pleriq; vero consentiunt in eo, quod angeli loquantur per impressionem specierum intelligili- um, ita ut effective inprimat unus alteri conceptum si- milem illi, quem in suo intellectu habet. In qua con- clusione convenienti Scoti asseclæ & Becanus, nisi quod paululū in explicatione dissentiant. Recentiores vero pneu- matici, inter quos videatur Mejerus, addunt his suum- calculum, putantes probabiliorem hac ipsa non inveniri sententiam. Sub hac tamen hypothesi, quod locutio præcise sumpta, nihil aliud denotat, quam conceptuum alteri

alteri factam manifestationem. Per quod namque Angelus suos alteri manefestat conceptus, per illud etiam alteri loquitur, atque per species impressas. E. major probata est, minor fundatur in eo, quod si actus interni & conceptus alteri erint manifesti, debent quasi repræsentari. Sed non possunt ei manifestari in sua entitate, cum juxta hanc, in loquentis intellectu permaneant E. per species actus ejusmodi adæquate repræsentantes. Nos ut nostrashisce addamus cogitationes, manum ori imponimus, tacentes potius, quam, ut quid sine fundamento divulgemuſ. Sic Scheiblerus cum aliis: nihil hac in re temere decerno. Qvod loquantur angeli certum est. Qvomodo autem hoc fit, existimo naturali ratione non satis constare: ita August. nec sciri nec affirmari potest, qua ratione angeli vel ad au-rem forinsecus, vel ad animum hominibus intus loquan-  
tur vid. eundem *in lib. de civ. Dei cap. 16.*

## C A P. II.

**U**bi fundamentum discursus dicitur vera assertio de distinctione attributorum ab essentia angelica. Ex occasione, explican-tur attributa Dei. Eaque conceptibiliter tantum differre ab essentia assertur. Auctorum dissentus circa attributa angelica. Horum distinctio realis ab essentia probatur.

## §. I.

 T datam liberemus fidem, quod antea promi-simus nos acturos de differentia seu distin-ctione attributorum angelicorum ab ipsa es-sentia, est jam animus illa paulo plenius persequi, & quæ antea omisimus, prolixius heic pertractare. Merito equidem debuisset hoc caput ceteris præmitti, cum sit tanquam fundamentum, cui

12  
11  
12
 hic noster discursus debet inniti, sed quod hoc non sit factū, excusat nos, methodo quod utamur arbitria. Multum enim interest novisse an angeli immediate per essentiam, an vero mediate per intellectum ab essentia realiter distinctum intelligent, quod qui non novit, nec recte de illorum cognitione judicabit. Operæ igitur pretium erit, absq; aliquo inani verborum strepitu, meditationes nostras in aperto ponere, & licet hoc ipsum præstare, difficultatis plenum sit opus, propter opinionum divortia & variantia philosophorum judicia: jaceamus tamen a leam, & rectæ rationis filum, quo nos dicit, sequamur. Juvabit autem in antecessum, antequam in ipsius rei ar-  
 cem tendamus, nonnulla præmittere de distinctione at-  
 tributorum divinorum ab essentia divina, cum horum  
 consideratio, maximam, ut patebit, lucem præsenti di-  
 scursui fœneretur. Supponamus ergo primo, nos non a-  
 gere de attributis Dei *quidditatibus* sed *denominativis*, quæ pri-  
 mum Dei conceptum, pro nostro cognitionis modulo  
 efformatum, non constitutive ingrediuntur, sed insequn-  
 tur. Est enim ipsa essentia divina, veluti Oceanus qui-  
 dam perfectionum, ut loquitur *Damasenus*, unde nequit  
 intellectus creatus ob naturalem suam imbecillitatem, per-  
 fectiones omnes in essentia contentas, uno adæquato actu  
 cognoscere; debet ergo plures inadæquatos conceptus,  
 quibus nunc hæc, nunc illa repræsentatur perfectio, for-  
 mare. Dicim⁹ plures formari *conceptus*, non quidem *objecti-  
 vos*, cum ita *actu* sit unicus & simplicissimus, *virtute* au-  
 tem & *eminenter* multi, in effectibus & terminationibus  
 ad opus tale veltale distinctus, sed solum *formales*, qui  
 qualitates sunt à nostro intellectu formatæ, rem cognitam,  
 ad modum ideæ, repræsentantes. Et hinc constat nostros,

de attributis divinis conceptus esse plures, verum nullam in Deo actualem præsupponere pluralitatem, quandoquidem sunt omnia attributa à parte rei, *realiter* unum & idem cum essentia, & a parte tantum conceptus nostri, seu *conceptibiliter* & *formaliter* ab illa distingvantur; juxta axioma Philosophorum: Nihil est in Deo, quod non est ipse Deus. Puta *in sensu identico*, non *in sensu formalis*. Nam nihil obstat, quo minus unius ejusdemq[ue] rei diversæ possunt esse notiones, quas Barbari formalitates vocant *Scat.*  
*exerc. 307. Sec. 15.* licet non exinde distingvantur *realiter* *And.*  
*Kest. Exam. Met. Phot. p. 102.* vel ut alias loquantur Philosophi, conceptus objectivus est unus, conceptus autem formales sunt distincti. Sumit enim intellectus sibi occasionem distingvendi illa in Deo, quæ à parte rei non sunt distincta, vel ex diversitate operationum in creaturis, vel distinctione rerum positivarum, vel ex diversitate perfectionum in Creaturis, quæ omnia probant, distinctionem hanc non esse rationis fictæ seu ratiocinantis, ut loquuntur, sed ratiocinatae. Fundamentum vero distinctionis seu virtus terminandi est equidem in objecto ante operationem intellectus, licet actualitas distinctionis sit in intellectu, qui ex sui imperfectione conceptus suos multiplicat, re ipsa non multiplicata; & hoc sine ulla in objecto annexa imperfectione, quia sicut non repugnat multa in Deo concipere attributa eaq[ue] distingvere, quæ tamen à parte rei unum sunt, ita non repugnat illa in ratione nostra conjungere & concipere ut in Deo unum sint. Deo namq[ue] nihil affingamus aut tribuamus, quod non est in Deo, nec esse potest, quia indignum Deitate. Unde removentur hinc omnes compositiones *reales*, utpote quæ simplicitati divinæ, independentiæ, perfectioni &

deniqe immutabilitati ejus resistunt, & quædam rationis, essentie divinæ nequaquam convenientes, quas nos tanquam omnibus notas, sicco, quod ajunt, pede præterimus.

## §. II.

Jam cum ad majorem rei illustrationem & uberiorem Jeorum, quæ seqvuntur explicationem, declaraverimus, Deum sumne simplicem esse & compositionis expertem, deveniendum ad id erit, ut reliqua suo modo composita esse ostendamus. Sicuti namqe Deus intelligit vult & agit immediate per essentiam, ita contra angeli & homines per facultates, seu potentias essentiæ superadditas, tanquam accidentia ab essentia realiter distincta suas edunt operationes. Quod contra illos nobis erit probandum, qui attributa Angeli & hominis, nec a se invicem, nec ab essentia, re sed solum ratione, distingui autumant, unam eandemqe essentiam esse dicunt intellectu, quatenus in semetiplo actus intelligendi, & voluntatē, quatenus actus volendi in semetipsa producit. Ut *Museus Met. Inst. c. xxvi. p. 473. Dur. in 2. S. dist. 3. q. 5. Hereboordius*, acriter hanc propugnant sententiam. Alii vero stant a parte nostra, utpote *Thom. q. 51. art. 3. Ebel. Coll. Met. Spec. Disp. 6. S. 3. a. 1. punct. 1. Scheibl. Met. c. 3. n. 118. p. 164. Sperl. antrop. c. 11. q. 1. p. 122.* qvorum vestigia nos sequimur. Fundamentum autem ut ponamus immotum, erit hoc primum nostræ assertionis fulcrum, quod nulla sustantia creata, utut perfecta, sit principium immedia<sup>t</sup>e operativum, sed opus habet facultatibus & ministris in suis operationibus peragendis. Et hæ facultates sunt principia agendi formalia, & ut quo (nam essentiam ipsam esse principium agendi principale, remotum, radicale & ut quod largiter concedimus) sine quibus substantiæ creatæ non operantur;

Alias

Alias sequeretur, si Angelorum essentia esset immediatum  
 operandi principium, forent incessabiliter & essentialiter  
 actuosi, & per consequens pure quid actuale, quod soli  
 Deo tribuendum, qui semper est intelligens, semper volens,  
 semper sub propriis suis actibus intelligendi & volendi e-  
 xistens, propter summam illam & essentialiem suam actu-  
 alitatem, qua nequit esse sub potentia passiva; unde cudi-  
 tur argumentum. *Cui non est sua actualitas, in eo ope-  
 ratio non potest esse idem cum virtute, nedum cum essentia, sed nulli  
 praeter Deum est sua actualitas.* E. prob. min. *Quia omne  
 aliud praeter Deum habet aliquid potentialitatis, cui repugnat iden-  
 tificari actualitatem: solus enim Deus est actus purissimus, nibil  
 habens admixtum potentialitatis: Quod tamen debet intelligi ne-  
 gative, ut sensus sit, solum Deum non perfici per aliquam actuali-  
 tatem ab essentia distinctam.* Diximus omnia, praeter Deum  
 habere aliquid potentialitatis, quod de angelis etiam venit  
 explicandū, qui quidem sunt actus puri; sed non simpliciter &  
 absolute tales, quoniam sic omnem excluderent potentialita-  
 tem, qualis actus est solius Dei; sed saltim secundum quid, qva-  
 tenus ab illa quidem potentia, quæ ex materia potest inferri,  
 sint immunes, non tamen ab omni alia. Unde clarum est  
 & manifestum, quod Deus agat immediate & per essentiam, angeli autem non, ille incessabiliter, hi cessabiliter,  
 ille ita, ut ejus operatio sit ab essentia, hi vero, ut operationes  
 sint proxime a facultatibꝫ ab essentia realiter distinctis. Por-  
 ro obscurum nemini esse potest, per antea disputata, faculta-  
 tes Angeli & hominis variari, mutari, & perfici, dum pro  
 libertate nunchoc, nunc illud cognoscant, adeoꝫ incipient  
 cognoscere hoc, ut desinant & cessent cognoscere aliud, ut  
 nunc se ipsum intueantur penitus, nunc ad alia cogno-  
 scenda transeant. Et eo ipso, quoq; facultas intellectiva, quæ  
//  
erat

erat potentia cognoscens; fit actu cognoscens, mutatur, cum quidquid de potentia transit in actum, mutari recte dicatur a Thom. p. 1. Q. 25. a. 9. Suar. disp. 35. Met. Sect. 4. n. 10. Et hanc mutationem fieri ex rationibus certum est, quia actu ignorant Angeli multa, pure supra naturalia, quæ pendent ex libera Dei voluntate, ad quorum cognitionem est intellectus in potentia, ut ei possint revelari. Idem dicendum de occultis hominum cogitationibus, quæ si angelo revelentur, incipiet cognoscere id, quod antea non cognovit. Adeoq; est ipse intellectus quo ad actum intelligendi, mutabilis, ipsa vero essentia immutabilis; unde necessum est ut distinctio sit heic, plus quam rationis. Plura habemus heic præmeditata argumenta, sed ut illa apponamus vetat instituti ratio, ideo consultum ducimus ulteriore diductione supersedere, hac tamen cum fiducia, ut si cuiquam volupe fuerit, publice pleniorum horum urgere rationem, conabimur quantum tenuitas tenuissimi nostri ingenii admittit, mentem nostram quodammodo explicare.

### CAP. III.

**N**quo traditur & quivocatio veritatis. De veritate Entitative refutatio Musæi, Hymonomia falsitatis. Materiale & formale veritatis. Scholasticorum discursus de variis relationibus circa explicationem formalis veri. Quid repræsentatio. Qualis illa. Quotuplex. Quid abstractio. Eius usus. Explicatio formalis veri humani. Mensura & fundamentum hujus veri. Status controversæ. Quæ mentis directio. Naturam esse mensuram scibilis Philosophici, nequaquam cognitionem, ut voluit Cartesius. Refutatio dubitationis Cartesianæ. Num Natura vel simul Scriptura sit mensura scibilis Philosophici. Nostra de his vera assertio. Scriptura non omnino prætereunda. Unius rei non duplarem & oppositam esse veritatem. Quid falsitas. Quomodo iusit intellectui. Non

Non esse hanc falsitatem privativum, sed positivum quid contra Cartesium. Subjectum falsi esse intellectum. Refutatio Cartesii. Objectum intellectus & voluntatis. Unde provenit falsitas. Intellectus nostri infirmitas. Vera assertio de erroribus sensuum. Via duplex veritatis acquirendæ. Falsitatem non inesse rebus. Judicium Auctorum de Aristotele. Theologorum censuræ de Cartesio & ejus Philosophia explicantur.

## §. I.

**F**acilius ut constet veritatis, quam heic veniamur, indoles, consultum duximus ex more ab omnis ævi Philosophis recepto, veritatis vocabulum, quod in se admodum est ambiguum, paucis evolvere, ne forsitan vel in antea dictis vel in posterum dicendis, quid pariat nobis erroris aut confusionis. I. Ergo tenendum, nos non sollicitos esse heic loci, de *veritate increata*, eaq; nec ( $\alpha$ ) *essentiali*, cuius terminus est intellectus divinus, non practicus sed speculativus, ad quem essentia refertur tanquam cognita ad suum cognoscens; non ac si, aliquid veritatis ei supperadderet, sed quod eam simpliciter intueatur, in quo intuitu est omnimoda quædam identitas *el. disp. 4.* nec ( $\beta$ ) *Conformativa*, qua intellectus divinus congruit cum suis objectis, ut in eorum cognitione nequaquam possit errare *Met. Scheibl. p. f. p. 67.* Nec ( $\gamma$ ) *significativa*; qua Deus veracissime signat, quæ vult creaturis revelata *Herc. pneum. p. g. pag. 987.* II. relinquimus heic *veritatem creatam*, nimirum *objectivam*, *fundamentalem*, quæ alias solet dici *in essendo talis*, *Met. from. pag. 130.* quæ infert congruentiam cum intellectu divino, non quantitativam & adæquationis, sed imitatивam & repræsentationis *Cal. Met. dis. p. g. p. 267.* quatenus res tales sunt, quales

voluit illas producere Deus Scarff. Met. Exemp. pag. 67.  
 III. Nec recipimus in nostrum ordinem veritatem significativam, quæ rem signatam repræsentat potentia cognoſcenti. Talis veritas est in conceptibus, vocibus, picturis, imaginibus alijsq; signis B. Thur Met. p. g. pag. 120. From. Met. p. 130. IV. Nec nostri est instituti, inquirere veritatem Ethicam, quæ alias dicitur veracitas, cuius formale est congruentia sermonis, gestuum & aliorum signorum, cum ipso corde Pl. Rev. & Præci. Profess. M. And. Wanockii disq. pract. p. 398. sed V. & ultimo, acceptamus nos veritatem intellectivam & cognitionis, quæ omnimodam dicit congruentiam intellectus concipientis ad rem intellectam Gnost. Mei. p. 401. Scarff. Met. Ex. pag. p. 71.

## §. II.

**A**ntequam ad alia properemus, contra nos insurgere notamus, magni nominis virum Musæum Inst. Met. cap. xxxv. ubi, præter id, quod rationem formalem veri, qua πρώτως & formaliter in esse veri constituitur, querat in relationibus ad extra, ad formam nimirum denominantem extrinsecam; improbat etiam datam à nobis distinctionem veritatis, quam vel in essendo seu Entitativam, vel significativam, vel intellectivam esse statuimus. Verba citati Autoris, quæ dicti Cap. §. 47. p. 742. habentur, hæc sunt; Ideo improbat nobis illa distincio, qua veritas alia dicitur in essendo, alia in significando, alia in repræsentando, quæ est conformitas intellectus cum re. At in concreto dicuntur quidem res veræ in essendo, sed per extrinsecā denominationem petitam a veritate, prout est in intellectu. Hoc repetit in Ant. §. 42. p. 739. ubi ait: ex dictis clarum est, verum aliquid non intrinseca denominatione esse sed extrinseca tantum à conceptibus mentis, &c. item §. 34. ejusd. cap. p. 733. dicit res creatas, si referantur ad ideam mente divina conceptam, cum

cum ea conformitatē quidem habere: sed fallum esse asserit in ea conformitate veritatem confistere. Quando enim judicandum erit, sit ne aliquid verum aurum, nec ne, neutiquam recurrimus ad intellectum divinum, inquisituri, an cum illa idea conveniat, sed nos ipsi, penitus inspectis auri proprietatibus, non attenda idea mentis divinae, verum de eo judicium formamus. Sed opido falsa esse hæc omnia, & per se absurdâ vel satis exinde liquido potest constare, quod unaquæq; res, ante omnem operationem mentis, sit ens unum, verum, bonum & sic intrinsece denominatur a propria entitate, non vero extrinsece à conceptu vel intellectu. Nam uti ens in se ac per se, seu per suam internam naturam est unum, sic quoque in se ac per se verum est, quia ens est, non quia refertur ad formam aliquam externam, unde per extrinsecam denominationem sic dicatur. *August. lib. 9. Solilog. c. 5.* intentiori cura hæc omnia pensans, inquit: verum non recte dici esse id, quod ita se habet ut videtur cognitori, quia secundum hoc, nihil foret verum, si nullus cognosceret. Unde verum esse id existimamus, quod est, non autem id, quod videtur, aut quod tale est, quale videtur, quia licet res non videatur, neq; conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera est. Hinc apposite satis *Fonseca lib. IV. Met. c. II. Q. VI. Sect. 10* dicit *res veras esse ex conformitate cum intellectu divino, hoc est cum rationibus formalibus ipsarum, quæ sunt in mente divina.* Per rationes formales intelligit, procul dubio, actus sive conceptus prædictos, de rebus sic vel aliter producendis, quos vulgo ideas appellamus; fuerunt enim ideæ rerum ab æterno in Deo, ad quarum Exemplar formatæ sunt res ipsæ, quæ hoc nomine dicuntur æternæ veritatis. *Cal. Met. div. p. g. n. 20. V. p. 201.* veras itaq; res esse censemus, hoc ipso, quod

postquam productæ sunt, ita se habent, sicut producendæ erant, secundum ideam in mente divina existentem. Nam fundamentum veritatis rerum est advertentia relationis, qua quælibet res ad intellectum divinum refertur. Et eatenus dicuntur res veræ, quatenus congruunt cum hoc intellectu divino, non quatenus hoc vel illo modo ab intellectu creato percipiuntur. Et quid multis? comprehendimus ipsimet veritatem rerum natura priorem esse nostra cognitione, ut nequeat hæc terminare res ipsas. Seqvuntur enim pulcherrimo ordine hæc tria. 1. Res ipsæ seu entia, 2. Conceptus sive cognitiones illarum rerum, 3. voces & orationes, ut nervose docet Philosophus lib. 3. de interp. cap. 1. Et possunt ipsæ res, tanquam fundamenta nostrorum conceptuum esse, licet non concipientur, & conceptus possunt esse, licet nec verbis nec literis exprimantur. Alia, si placet, argumenta, quibus solidere refutetur noster Musæus; petantur ex Swarezii Disp. Met. 8. de ver. Sect. 7. item vid. §. 34. Sect. 7.

## §. III.

**S**ed ne diutius in illis moremur, quæ ad primarium nostrum scopum collimare non videntur, regredimur ad nostrum propositum, quod est, ut ea, quæ ad ambiguitatem falsi spectant, aliquanto altius expendamus, qua discussa, feliciori pede, in iis quæ seqvuntur progresuros nos speramus. Est ergo I. nobis nihil heic commercii cum falso transcendentali, quod tanquam fictum & nullici existens, a foro Philosophico relegamus. Foret enim definiendum hoc falsum per deformitatem rei cum intellectu divino, at nullum ens, quatenus ens est disforme cum intellectu. Nam cum Deus omnia, quæ ab ipso dependent, ita in essentia constituit, ut concordent cum men-

mensura sui intellectus, sequitur illa esse vera. *From.*  
*Met. p. g. p. 143.* & cum sint creaturæ non habent aliquod  
 genus falsi, sed similitudinem imitationis ad ipsum crea-  
 torem. *Alb. Magn. Tom. 17. a. IV. p. 126.* Unde si daretur hæc  
 falsitas *proprie* & per *denominationem intrinsecam* in rebus,  
 tolleretur veritas, adeoq; ipsa entitas; & principium il-  
 lud immotæ veritatis everteretur, impossibile est idem si-  
 mul esse & non esse. *Improprie* vero & per *denominationem*  
*extrinsecam* falsas interdum dici res in posterum dicemus. II.  
 Nec nostri est instituti agere de falsitate morali, quam mo-  
 ralistæ constituunt in *disconvenientia cordis & oris* cum tur-  
 pi intentione fallendi. Sed III. & ultimo, ceteris missis,  
 naturam ejus falsitatis explicabimus, quæ præter inten-  
 tionem in processu cognitionis humanæ aliquando inven-  
 nitur & per inadæquationem seu difformitatem intelle-  
 ctus concipientis ad rem intellectam; à Gnostologis **ex-**  
 plicatur.

#### §. IV.

**E**xhibitam antea in paragrapho. I. hujus capitinis defi-  
 nitionem veri tanquam heic rerum tractandarum sy-  
 nopsis resumimus, uberiori adhuc interpretationis filo e-  
 jus tam *materiale* quam *formale* consideraturi. Dictum  
 enim tunc erat, verum hoc consistere in omnimoda con-  
 gruentia intellectus concipientis ad rem intellectam, ubi  
 statim absq; aliquo monitore patet ipsum cognoscibile es-  
 se materiale. Ratio autem formalis tot involuta est dif-  
 ficultatibus, & tot tortuosis anfractibus plena, ut si hos  
 omnes ingrediamur, vix ulla patet via, qua nobis erit ex-  
 eundum; tenuitatem nostri ingenii sequi non audemus,  
 nisi illos sibi præeuntes habeat Auctores, qui in noctam ar-  
 duo & sublimi negotio desudarunt. Feliciter ergo dif-  
 fici-

ficiiora evitabimus, si relinquamus rixosas illas Scholasticon  
subtilitates, quibus quidam volunt formale hoc  
esse, modum quandam internum intellectui superaddi-  
tum, & ab ipso realiter distinctum; quidam autem re-  
lationes, interdum rationis, interdum reales, interdum  
ab utraqꝫ distinctas excogitant, quibus hoc formale il-  
lustrare tentant; sed omnes illas fere vanas & inanis  
prorsus illorum cogitationes mittimus, & unice ponim-  
us formale hujus veri in congruentia seu conformi-  
tate actus intellectus & objecti repræsentati, ut objectum  
ita se habeat, prout est cognitum. Conformatas, quam no-  
minamus, non intelligitur *quoad naturam & essentiam talis*,  
cum plurimæ res, quæ per intellectum concipiuntur, ab  
ipso & conceptibus ejus, tanquam res materiales & cor-  
poreæ a materiæ expertibus, tota essentia differunt: sed  
saltem *quoad representationem talis*. Nam cum intellectus  
concipientis & conceptuum officium sit repræsentare res,  
quas concipit, & quarum hi conceptus sunt; necessum  
est ut intellectus conformetur rei seu objecto, quod con-  
cipit, hoc est, ut per conceptum ejus res, non quocunqꝫ  
modo, sed sicut est, repræsentetur. Congruenter satis  
exprimit hoc Scarff. *Theor. Transc. Diff. p. 372.* dicens: *mens nostra  
conformatur rebus in cognitione veri, non per modum essendi, sed  
per assimilationem intentionaliter eas representando.* Ibi rei ob-  
jecte conceptum formamus, ut vi talis conceptus possimus rem i-  
psam quasi depingere & declarare qualis sit. Qua concisiōri  
verborum serie, nihil aliud nobis adumbrari censeamus,  
quam quod cognitio debeat in se habere repræsentative  
etiam modum essendi ipsius objecti: Nam rem depingi  
sicuti est, nihil aliud est, quam repræsentari sicuti est:  
tunc autem repræsentatur sicuti est, quando intellectus  
repræ-

repræsentative continet esse objecți; unde tunc cognoscitur res perfecte, quando sicuti est, cognoscitur ab intellectu, qui per expressionem actu fit quasi ipsa res, quæ cognoscitur: quo sensu optimè 1.3. de anima text. 37. dixit Aristoteles, intellectum intelligendo fieri omnia. Repræsentationem insuper commendamus heic magnopere, quia cum res nequeant essentialiter intellectum ingredi, debent adæquate & accurate coram mente sisti, nam quidquid objective fundamentaliter in natura existit, id taliter coram mente sisti debet formaliter, ut habet de veritate per repræsentationem axioma Noologicum. Modi autem repræsentationis sunt diversi, dum fit hæc vel directe & positive vel indirecte; quæ vel realis est, vel virtualis. Illa fit vel per viam negationis, vel per viam eminentiæ, vel per viam causalitatis, hæc iterum vel per remotionem contradictionis, vel per nudam non repugnantiam obedientiam Cal. Nool. cap. III. p. 51. H. 51 Quemadmodum enim res sunt variæ, ita variis nostro intellectui repræsentantur modis. Aliter Creator, aliter creaturæ, aliter entia realia, aliter entia rationis; qui tamen omnes modi ad unum collimant scopum veritatis videlicet indagationem. Entia creata, cum habeant communitatem ad plura, etsi non semper actualitatem tamen aptitudinem, ut pluribus possint inexistere, admittunt ideam quandam universalem, cuius beneficio repræsentantur intellectui; at de Deo aliter dicendum, cui ob summam perfectionem multiplicitas ad plura repugnat, ut nequeat ideam universalem, sed tantum singularem admittere, quando eandem in statum eminentiæ, ratione intellectualis repræsentationis deducimus, ut omnes ab eo imperfectiones removeamus, perfectiones vero eminentissima quadam ratione ipsi tribuamus. Alias quantum ad

eorum entium repræsentationem, quæ in statum universalem deducuntur ipsa abstractio heic efficit, non opus est ut multis dicamus. Obtinet enim illa principatum inter media, quibus veritas inquiritur. Dicit in cognitionem rei distinctam, docetq; nos quomodo omnem veritatem apprehendere & falsitatem removere vere possumus. Certum est fundamentum, quo posito circumspiciamus oportet, quomodo mens veritatem in rerum thalamis abconditam radicatamq; eruit, erutam accurate teneat & contempletur. Quid multis? formalia ipsa inquirit, quibus cognitis, res quasi introspicitur & vere cognoscitur. Ut potest quis tunc veritatem se consequum gloriari, quando res apprehendit, ut sunt, & de apprehensis verum format judicium. Hinc recte *Baran.* *Ph. par. 1. sect. 3. q. 3.* ait, abstractionis in Philosophia summum esse usum, & quidem tantum, ut ea qui uti recte non noverit, Philosophus dici non mereatur. Quod exacte congruit cum decretis Gnostologorum, *qui abstractionem tollit, omnem tollit scientiam, adeoq; veritatem, is solus est Philosophus, qui bene novit abstrahere Gnost.* From. item *Gnost. Cal. c. 1. p. 17.* Et hoc certe non sine ratione dicitur, siquidem abstractionis beneficio rationem noëmatum quidditativam obtinere possumus, quando scilicet non acquiescimus in iis, quæ rebus insunt, prout his vel illis conditionibus individuantibus inhærent, sed ulterius progrediendo communes ideas abstrahimus ab inferioribus, donec elucescat quid de se & præcise formatæ in sua ratione & entitate definitiva importent. Sed de his alibi. Nunc autem dicimus de repræsentatione, quod illa sola, sua stipata abstractione, non sufficiat ad veritatis constitutionem, sed simul requiritur actus intellectus & objecti repræsentati

tati, ut objectum ita se habeat, prout est cognitum. Omnimoda erit haec adæquatio inter intellectum & objectum, ut nihil habeatur in conceptu, quod non invenitur in objecto; non tamen retrorsum procedit, ut omne id, quod est in objecto, sit in conceptu, quia nequit mens nostra semper uno & adæquato conceptu omnes reipertectiones simul apprehendere. Unde accipiendus est cum grano salis canon gnostologorum, *conceptus formalis debet respondere conceptui objectivo*; scilicet quoad rem & veritatem, non quoad modum & abstractionem vel ratione veritatis, non autem necessario *ratione adequationis*. Verus & conformis erit conceptus formalis, sed adæquari conceptui objectivo semper non potest. Evenit enim saepius, eandem rem aliis atq; aliis conceptibus inadæquatis apprehendi, ut exempli gratia, quando concipit noster intellectus ens perfectum, est hic conceptus verus, licet non simul concipiatur ceteras affectiones, quas intime imbibit ipsum ens, sed sufficit dum quid in objecto respondet nostro conceptui: nam veritas elucet in hoc, quod sit conformitas ejus, quod concipitur cum nostro intellectu, cui nihil obstat, si alia adhuc sint in objecto, quæ non sunt in nostro conceptu.

## §. V.

**E**xplícata jam & paulo fusiū enodata abstracta veritatis quidditate, consequens est, ut mensuram adeamus seu fundamentū, quo debet haec veritas cognitionis mensurari. Et, ut de singulis distincte agamus, formabimus ad evidentiorem assertionis nostræ plenitudinem, statum controversiæ, & quid circa singula fuerit observatu dignum, notabimus. Primo ergo sit nostra positio, nos hac vice, non attendere mensuram veritatis in essendo, quam ex ante

antea dictis haud obscure colligere licet, esse intellectum divinum, cui res adæquantur, vel *ratione cognitionis*, quod tales sint, qualis est cognitio Dei, vel *ratione mensurationis*, quod intellectus divinus sit mensura omnis veritatis participatæ; ita, ut quo propius accedunt creaturæ ad hanc mensuram & quo plures participat perfectiones de perfectiōnibus Dei, eo perfectiores censentur, quo magis receidunt, eo imperfectiones habentur. sed secundo agendum nobis etit de mensura veritatis in cognoscendo, eaque non instrumentalí (quales forsitan sunt regulæ logicæ, Grammaticæ, & Rheticæ) sed principali, quæ sese offert nobis in ipsa natura, dum nostra cognitio ac perceptio mensuretur ab ipsis rebus. Nam omne quod est, intellectum terminare potest *Cal. Met. lib. 79. XVIII. p. 109.* non quidem *divinum*, quem res non terminant, sed a quo terminantur, sed *humanum*, qui ex se ipso indeterminatus, determinatus redditur ex ipsis rebus. Hinc ex dupli data mensura, nimirum instrumentalí & principali, duplex statuitur mentis directio, una *objectiva & realis*, altera *præparativa & notionalis*, quarum illa est rerum ipsarum, hæc vero notionum secundarum. Primam directionem acceptamus nos, & ejus mensuram facimus naturam, quæ unice est representativū cognoscibilis naturalis fundamen-tum. Intellectus enim divinus est quidē mensura omnis veritatis ratione constitutionis, ratione autem apprehensionis seu cognitionis nostræ, sunt res in natura contentæ *Gnoſt. Mei. part. Sp. p. 473.* Intellectum autem humanum, utpote objective, qua ideam intelligibilem, ab ipsis rebus dependentem, non audemus statuere mensuram, cum saepius ipse & fallit & fallitur. Hinc errat nobis quam maxime *Ant. le Grand* cum suo Antesignano Cartesio *Inſtitu-tioni-*

tionibus Phil. Reg. 4. p. 11. dum afferit omnis veritatis regulam ac normam esse propriam cogitationem, adeo, ut id demum pro vero habendum, quod clare & distincte percipitur; hinc indubitatum apud illos extat principium, *a nosse ad esse valet consequentia.* Hoc pluribus confirmat Herreb. Mel. Ph. v. 2. p. 369. item in sua Epist. ad cur. Acad. Lugd. Bat. p. 10. 15. 16. Nihil, inquiens, potest accipi, ut verum, nisi evidenter fuerit perceptum, idq; tam clare, ut omnis absit dubitatio, & hec clara perceptio est veritatis radix, origo & fundamentum. Sed quam longe hi Auctores a regia via deflectunt judicium sit penes intelligentes. Pensitent enim tantum, quid sit mensura, quamq; infallibilis debet esse, quod primarium est ejus requisitum From. Met. c. XXVII. pag. 466. & conferant cum intellectu humano, res erit clara. Quid? quod habemus consentientem nobis ipsum Cartesium, qui in Meditatione 3 ipse fatetur arbitratum se fuisse multa clare se percipisse, quæ tamen revera non percipisset. Imo, procul omni dubio, fuerunt perplurimæ res, de quibus nunquam cogitavit Cartesius, habebunt ne ergo illæ res, extra mentem Cartesii, aliquam veritatem? absurde! Idcirco rectissime statuimus, quod pendeat veritas non a subjecto, quod cognoscit, sed ab objecto, quod cognoscitur, quia nullus homo potest esse alicujus scientiæ, aut sententiæ norma, cum nemo mortalium tam exactæ sit cognitionis & judicii, ut sine omni errore vivat. Et quidem regula veritatis debet esse exactissima ac infallibilis, quod de hominibus affirmari nequit. Nec obstat dictum Arist. l. 1. Met. c. 1. T. 4. Quo dicit scientiam esse rerum mensuram. Nam verba hæc non debent explicari *absolute*, sed *restrictive*, siquidem ipse Philosophus affirmat, scientias non tam mensurare, quam mensurari a rebus, quæ scili

scilicet illarum objecta sunt, unde non tam mensuræ sunt, quam mensurata suorum objectorum. Proinde per res, quarum mensuram dicit scientiam, non intelligit qualitercumq; scientiis objectas, sed eas, quæ sunt mensuræ, quas dum scientia ad intellectum applicat, fit mensuratio; & sic respectu istius mensurationis, vocatur scientia rerum mensura, ex mente saniorum Philosophorum.

## §. VI.

**D**ubitatem etiam Cartesianam pro firme fundamento & infallibili medio veritatis inquirendæ receperunt illi, quibus maxima est religio, ne vel minimum ab ipsius Magistri verbis deflectere. Supponit enim Auctor, quem sequuntur, *omnia esse falsa, & nihil aliud, quam Iudificationes somniorum, quibus malus aliquis genius ipsius credulitati insidijs strueret.* Et his suis ineptiis ac nugis non tantum entia creata, sed ipsum etiam creatorem includere audet, dum dicit. *Nec illum peccare, qui propter eundem finem, certiorrem nempe veritatis cognitionem, totam, quam de Deo babere potest, cognitionem ex animo ad tempus submovet;* verba sane impia & piis auribus gravia! quod nemo, nisi omni sensu pietatis fuerit derelictus, & cum ipso Auctore, tantæ vesaniae œstro percitus, ut in re certissima, incertus velit manere, negabit. Excusare le equidem tentat Auctor, quod non dubitet de Deo & ejus existentia *prætice*, sed *Theoretice*, quodq; utatur hac dubitatione, tanquam medio, cuius beneficio in clariorem veritatis cognitionem perveniat, non vero ut fine, quasi in eo vellet persistere. Sed vix valet hæc excusatio, qua quæsumus enim ratione, potest quis *prætice* illum colere, quem *Theoretice* ignorat, nonne *praxis* præsupponit aliquam scientiam? Et quis unquam sine nota impietatis concederit alicui mor-

mortalium, saltem ad inquirendam veritatem, notitiam, de Deo, omnium hominum mentibus impressam, evelere. Si enim mors in illo temporis tractu, quo de Deo dubitares, te abriperet, nos de te & tua salute foret transactum. Quid opus est multis? videant pii & pensitent, cordati, quam sit hæc dubitatio scripturæ adverfa & reftæ rationi contraria. Ut, jam taceamus dicta scripturæ, in quibus dubitatio improbatur & dubitantes undis marinis comparantur, quæ ventis impulsæ nunc huc, nunc illuc jaectantur; sufficiat nobis ipsa ratio ad declarandum, quam lubrum sit hoc fundamentum, quo eorum platica, qui tam stricte & solenniter in verba Cartesii jurarunt, innituntur. Quid enim de principiis innatis, tam Theoreticis, quam practicis erit dicendum, nonne illorum tanta est certitudo, tantaq; veritas, ut, qui de illis dubitet, non hominem sed brutum, & bruto longe pejorem se esse ostendat. Sic de aliis quibusdam rebus idem ferendum judicum, quæ ita sensus afficiunt, ut si de illis quis dubitarer, aut aliter, quam sensibus percipiuntur, judicaret, stultum & ab omni usu sensuum se longe remotum esse declararet. Ad posterius autem, quod obvertit Cartesius, se hacdubitacione uti, non ut, in ea finaliter perseveret, sed ut habeat illam, tanquam medium, quo facilius perveniat ad rerum cognitionem, reponimus judicium *D. V. Alberti in apend. ad scrutinium Religionis Kromai.* Ubi ait: Cartesium quidem in hoc a Scepticis differre, quod hi in dubitatione acquiescant, ille intendat ea uti ad meliorem cognitionem, adeo ut dubitatio Scepticis fit finis, Cartesio autem medium Philosophandi: nihilominus autem hujusmodi dubitatio inter legitima media locum non invenit, nihil enim quod est contra

conscientiam, sicut dubitatio, potest de jure adhiberi ad scientiam acquirendam. Addimus hisce verba *74. Ad. Osiandri ex Coll. Consid. in dogmata Cartesianorum*, quod dubitans ita, ut affectet dubitationem, contra illa, quæ sunt insita, & manifesta, graviter peccat & proinde dubitando, non tam pertinget ad veritatem, quam ad ateismi vanitatem: hæc ille. Quædam equidein obscuriora esse concedimus, ut in nostra cognitione, quid dubii relinquant, exinde tamen universale axioma confidere, de omni rem increata quam creata dubitandum est, impium & blasphemum esse existimamus,

## §. VII.

II **A**D eorum enucleationem quæ in §. V. hujus capititis prolata sunt, spectat etiam controversia hæc, num natura solum, vel simul scriptura, sit mensura veritatis in Philosophicis? ad quod quæsitum rectissime ex antea positis responderetur, prioris membra affirmativam nos tenere; & quidem ex eo fundamento, quod alias illa, quæ inter se sunt maxime distincta, confunderentur. In natura enim patefacta, immediate ad Deum recurrere, est præ inficiatio librum a Creatore apertum claudere *Mei. Gnoft. p. 84.* cum concesserit nobis Deus rationem, ut ea utamur ratiocinando & colligendo unum ex alio. Principia itidem sunt heic diversa, utpote Scriptura, quæ revelationis, Philosophia, quæ rationis & luminis naturæ est, quod &c. si post lapsum valde infirmatum & debilitatum est, manent tamen adhuc notitiae illæ innatæ, quæ quasi duces sunt ac auspices ad ipsam veritatem indagandam. Ceterum cum nostra ratio adeo sit obscurata, subit mirari, quid cogitant vana illa ingenia (inter quæ notas *Woizogii lib. de Inter. scripture*) quæ adeo tumidis

verbis proclamare non erubescunt, Philosophiam esse interpetem Theologiae, quasi haec, quae revera superior, inferiori obsequium & ancillatum deberet praestare; aperite contra scripturam & omnem rectam rationem; nam a quo spiritu prolatae sunt sacræ literæ, illo unice sunt expondæ, at non spiritu aliquo Philosophico sunt prolatæ *E. Hier. Krom. Th. pos. pol. I. IX. p. 1r.* sed pertinent haec ad forum superius, quae nostis discursibus philosophicis non audemus inferere. Nos interea agimus, quod nostrum est, & naturam scibilis Philosophici mensuram & fundatum esse confirmamus: unde nostra hauritur cognitio, rebus creatis vel ad conditorem vel inter se invicem collatis, & sensibilem a sensibilibus, intelligibilem ab intelligibilibus abstractione cognitis *Cal. Gnost. c. n.* Ita tamen, ut circa rerum philosophicarum considerationem non omnino excludas. S. scripturam, quin potius putas nos ad illam, tanquam infallibile principium, sine vitio *μεμβατεως εις απογενεσην*, in quibusdam, de quarum certitudine ex natura, non adeo constat, posse recurrere. Est enim scriptura communis quidam liber, a quo etiam Philosophica possunt deduci, quae cum describat Philosophus, neutiquam falcam in alienam mittit messem. Imo non omnis quaestio, referente magno illo *Calvio*, est Theologica, quae in Theologia tractatur, qvum aliud sit tractari in Theologia, aliud esse de Theologia *V. Cit. Aut. Method. pag. 1249.* Autor etiam, quo fuit nobilior, eo nobilius adfert testimonium, quod si fuerit humanum, probabilitatem habet, si vero divinum, necessitatem, firmitusq; probat, quam omnes omnium scientiarum demonstrationes, *Sperl. inst. Phys. p. 13.* autoritas autem humana saepius fallit, quae causa est, quod sine ratione & contra rationem non admittatur, divina vero fallere & falli

nescia. Et cum sit hæc communis humani generis cæcitas, ut paucissima ex operibus Dei cognoscat; hilari merito fronte excipiat naturæ auctorem, si le ipsum offerat ejus interpretem *Sperl. Exercitation. Phys. proposit. II. pag. 304.* Philosophus debet quidem ex ratione differere, sed ita, ut non prætereat scripturam, quæ in quibusdam optime ipsum informat, adeo ut ubi omnes deficiant sensus, omnis succumbat ratio, sola erigit scriptura. Quam adsurda igitur & a veritate aliena sunt eorum dogmata, qui contrarietatem inter librum hunc naturæ & scripturæ fingunt, adeoque unius rei duplcem eamque oppositam faciunt veritatem, neminem vel mediocriter in Philosophia versatum latere potest. Veritas enim cognitionis, ut antea eam defenivimus, est conformitas intellectus cum ipsis rebus. Et res omnes sunt veræ essentialiter per convenientiam cum intellectu divino. Quam ergo necessaria est & immutabilis conformitas rerum & intellectus Divini, tam necessaria & immutabilis est conformitas mentis & rerum in veritate cognitionis, siquidem hæc se ad invicem ita mutuo respiciunt, ut unum sine altero nequeat concipi. Unde immotæ veritatis manet nobis argumentum, quod semel vere verum est, id in nulla disciplina potest esse falsum, ratio statim est in promptu; quia si hic aliquid esset verum & alibi falsum, foret intellectus Dei mutabilis, & sic sibi esset Deus contrarius. Res enim quatenus est vera, conveniret cum intellectu Divino, quatenus falsa est, non conveniret, & sic quoad unam & eandem rem variaretur intellectus divinus, quod falsum est, quippe ut una Dei essentia, ita una tantum, respectu unius ejusdem rei est Dei sententia. His accedit, ut mentem nostram adhuc magis explicemus, quod scibile hoc, quod per revelationis

tionis gratiam innotescit, fundamentum quidem habet scripturam: quod per creationem revelatur, Naturam: utrumque tamen summum & ultimum principium habet Deum loquentem in verbo gratiae & potentiae, & in hoc, æque verax est Deus ac in illo, nisi temere & absurde asseras illum per lumen scripturæ inclinare ad veritatem, per lumen autem naturæ, ad falsitatem. Hinc concludit recte *Thom. I. i. c. g. c. 7.* non posse duo contraria ab uno fonte fluere, rationem enim divinitus inditam esse dicit, ut & fidem, ergo non sunt contraria. item *Conf. Lat.* inter alia, exhibet hoc decretum, sacræ scripturæ veritati nunquam repugnat natura, eo quod verum vero non contradicat.

## §. VIII.

**E**xpositis iam, quantum judicii nostri cæcitas & ratio instituti permittunt, illis, quæ ad veritatis naturam præ-primis spectant, exigit jam connexionis ordo, ut ad translationem falsitatis deveniamus, monentes ex antea declaratis, eam recte describi per inadæquationem seu difformitatem, inter judicium intellectus & ipsum objectum. Non quidem ac si hæc falsitas esset intellectui essentialis, seu quod ipsum cognoscibile in se esset falsum, sed quod fallatur interdum intellectus per accidens. Et tunc oritur illa, falsitas, quando objectum aliter sese habet, quam ab intellectu cognoscitur. Decipitur scilicet aliquando intellectus, cum res ei objecta videtur esse id, quod non est, ob similitudinem, quam cum alia re habet. *Cartesius* exponens quidditatem hujus falsi *in medit. 4. p. 52.* asserit illam consistere in pura quadam privatione, sive carentia cujusdam cognitionis, quæ in ipso esse deberet, & paulo post, *in ejusdem medit. pag. 58.* hæc habentur verba: *atque in hoc liberi arbitrii non recto usu privatio illa inest, que formam erroris constituit,* priva-

privatio inquam inest in ipsa operatione mentis, quatenus a me procedit. Sed falsa & falsitatis haud immerito suspecta est hæc falsi expositio a Cartesio data. Nos hanc removemus & contrariam veriorē amplectimur sententiam, quod nimirū, quid possitivi heic involvatur. Nam fit sæpius, ut actus intellectus seu conceptus formalis, qvem jam de re aliqua habemus, potest esse & revera est verus, qui variaatur, & mutato, paulo post, conceptu objectivo, sine reali essentialis cujusdam perfectionis privatione, mutatur. Sice.g. si concipiamus hominem aliquem ambulare, verus manet hic conceptus quamdiu ambulat, sed desinente ambulare, fit conceptus ille falsus, sine aliqua in nobis carrentia perfectionis. Nec obstat, quod dicas, formale hoc explicari per vocem quandam negativam, nempe disconvenientiam & inadæquationem, cum hoc nec adeo sit infrequens in tota Philosophia, ut res positiva, vocibus negativis exprimamus; sic in Metaphysicis explicatur unitas per indivisionem; perfectio per indefectionem, seu negationem defectus entitativi, negative quidem, qua voices, sed positive qua significationem. Item in Pneumaticis vocantur quædam affectiones spiritus negativæ, formaliter nempe & ratione articulationis, licet non fundamentaliter ratione significationis. Ut e.g. immaterialitas, immutabilitas spirit⁹ per terminum efféruntur negativum, non quidem expressa particula negativa non constantem, sed sufficit. h. l. *sig. n. m.* In, quæ removens imperfectionem, in re ipsa ponit spiritus pefectionem, remotæ & negatæ imperfectioni oppositam. *Vtd. Klootii disp. pneum. p. 18. Rudrauf. Met. part. spec. cap. II. punct. II. m. III. p. 7II.*

Evictum est in præcedentibus *subjectum* veri & fal-  
si remotum esse intellectum, proximum autem ipsum con-  
ceptum formalem. Nam cum mediantibus conceptibus ve-  
ritas in ipsa intelligendi facultate collocetur, certum est  
& per se manifestum, veritatem intellectui proxime & im-  
mediate non inesse, sed actibus, seu conceptibus ejus. Sub-  
innuit hoc Arist. ubi ait, in anima interdum esse *vixua*, hoc  
est conceptum vel intelligentiam, cui necessum sit verum  
vel falsum subesse. Sed de his supra actum. Pariter antea  
etiam in §. IV. Cap. I. insinuavimus dissensum Cartesii, qui vo-  
luntatem pro intellectu supponit. Hoc item in medit. S. 4. p. 54.  
pluribus probare conatur, dum in hæc verba erumpit.:  
*Errores seu falsitates meas cum investigavero, adverto illas e dua-  
bus causis simul concurrentibus dependere, nempe a facultate cognoscendi,  
que in me est, & a facultate eligendi, sive ab arbitrii li-  
bertate, h. e. ab intellectu & maxime voluntate, &c.* Verum mi-  
serere satis, ut verbo dicamus, confundit hic confusionis au-  
tor, distinctarum facultatum objecta. Notum namque est,  
& notius prorsus, quam ut dici mereatur, vel illis etiam,  
qui per transennam inspexerunt libros Ethicorum, volun-  
tatem pro objecto habere, id quod bonum est, sive revera,  
sive apparenter tale; intellectum autem contra, id,  
quod verum est. Puta per objectum intellectus non *ad-  
equationis*, quomodo & verum & bonum ipsi objiciuntur,  
& ut paucis dicamus, quidquid unquam est cognoscibile,  
hac ratione dicitur ejus objectum, sed tantum formale  
seu *formalitatis*, ut loqvuntur Scolastici; & sic unice ejus  
objectum statuitur cognoscibile qua verum, sub ratione  
intelligibilitatis spectatum. Addimus sub ratione intelli-  
gibilitatis. Nam etsi ratione objecti intelligibilitas non  
diffe-

differat a veritate, sed sit ipsa objecta entitas, ut intelligi possit apta nata, quatenus tamen ratione intellectus spectatur, nihil aliud est, quam actus intellectus; adeo ut hoc sensu tendere in objectum *sub ratione intelligibilitatis*, non sit idem, quod tendere in objectum *sub ratione veri*, quomodo in respectu ad ipsius objectum sumi debet: Sed potius est intellectum tendere in objectum, elicendo ipsa *intellectiones*. Sed de his egimus supra. Nunc autem notandum, quod, quando agimus de objecto intellectus, est noster intellectus circa illud cognoscendum ita determinatus, ut positis omnibus requisitis, fertur in suum objectum, haud secus ac visus in rem visibilem, auditus in audibilem. Nam dependet intellectus ab objecto, recipiendo ab eo speciem, per quam immutatur, dum ex speciebus formata speculator phantasmata, in quo differt a voluntate, quae in se manet indiferens & libera, non solum formaliter ut vult P. *Museus inst. Met. cap. V. p. 98.* sed etiam radicaliter, ut plurib<sup>9</sup> docent Ethici. Objectum deberet equidem intellectui proponi evidenter verum vel falsum, ut necessario posset assentiri vel dissentire; sed cum tam evidens objecti repræsentatio sit rarissima (& si datur, determinatur intellectus per illam evidentiam necessario) fit hoc per accidens, ut ex aliis advenientibus irrepit aliquando error; utpote I. ex eo, quod intellectus non satis possit animadvertere rerum veritatem, tum ob quarundam rerum excellentiam ac perfectionem, quæ sphæram intellectus humani excedunt, tum ob quarundam rerum debitam entitatem & diminutam rationem essendi, tum ob apparentiam vel veri similitudinem, quam in posterum declarabimus. Intellectui enim nostro circa cognitionem illarum rerum, quæ sunt excellentis admodum natu-

ræ, aliquam inesse imperfectionem, testatur apud Platonem  
*Socrates in Phædone*: Nihil, inquiens: homini, veritatis lu-  
cem, præprimis in superioribus, cernere cupienti ma-  
gis inimicum est, quam corporis contagio & voluptatis  
illecebra; quæ mentem caligini involutam falsis decipit  
imaginibus, & a sensuum turba ad mundi spectaculum &  
ad rerū naturā perlustrandam egredi non sinit. Hisce sub-  
scribit Plato lib. 7. qd Rep. & nec ab eo discedens Scaliger exerc.

*307. sect. 10. dicit*: homo in hoc mortalium orbe, res etsi  
habeat clarissimas, non tamen aliter eas intuetur, quam  
si in specu esset collocatus, & solas rerum inspiceret um-  
bras, hæc ille. Res ipsæ excellentiores, in se quidem sunt  
cognoscibiles, siquidem tantum habent veritatis, & per  
consequens intelligibilitatis, quantum entitatis; & sicuti  
lux habet se ad visum, sic habet se ens ad intellectum, quæ  
autem sunt maxime lucida, sunt maxime visibilia, ita  
quæ maxime sunt entia, maxime sunt intelligibilia; sed  
quod nequeat hominis intellectus interiora harum rerum  
penetrare, causa est quod post lapsum adeo densis sit cir-  
cumseptus tenebris, ut ad veritatis lucem oculos attollere  
ei perquam difficile sit. II. suboritur interdum in nostra co-  
gnitione error ex eo, quod sensus, a quibus, in quibusdam  
sumitur primordium intelligendi, non recte apprehendant  
objecta, & una secum decipient ipsum intellectum. Quod  
tamen explicamus de sensibus non absolute, sed restringe,  
ita ut si bene non fuerint dispositi sens⁹ & proportionaliter  
non habeant se medium & objectum, falluntur interdum,  
alias nequaquam concedimus illos falli; nisi eo absurditas  
ducimur, ut dicamus Deum sensus nobis concedendo,  
principia fallaciarum insevisse. Unde recte Plato, sensuum  
officium exponens, satellites mentis vocavit illos, & ducas  
G 2 pâri-

pariter eosdem ad veritatem esse dixit. Aristoteles ejusdem discipulus adeo certum judicavit testimonium sensuum, ut nihil, ex ejus mente, foret in intellectu, quin prius aliquo modo sensibus fuisset perceptum. Nam sive ipsi nobis acquiramus rerum scientiam percipiendo res ipsas, perceptasq; diudicando, sive ab aliis eandem accipimus, sunt nobis sensus insigni emolumento. Quia in re notamus iterum tanquam in transcursu *Cartesium* insignem errorem erasse, & a vero tramite quam maxime deviisse, quod *medit. sexta*; censet naturæ ordinem perverti, si in Philosophicis consulantur sensus. Approbat hoc Magistro suo apprime addictus *Ant. le. Grand. inst. Phil. l. 8.* ubi omnes proclamat sensus fallaces, & non sine causa in falsi suspicionem trahi, quidquid per illos repræsentatur. *Temeritatis & impudentiae est nota iis fidem habere, qui vel semel nos eluserunt.* Et inferius, dicit: *sensus a natura nobis non esse confessos, ad veritatem eruendam, aut ad aliquid immediate cognoscendum &c.* At hæc omnia sine fundamento, in contrarium inclinante S. Icriptura, *Luc. 24. 39.* Ubi ipse Christus provocavit ad sensuum judicium, quomodo, ergo dicas illos semper fallaces esse, aut plerumq; fallere, quasi ille ad judicium provocaret incertum: *Præterea dictitat nobis ipsa ratio, sensus a Deo datos esse, ob singularem hominis perfectionem, quibus omnem, si modo sint integri, fidem derogare, nihil aliud erit, quam Deum fallaciarum autorem & causam statuere.*

## §. X.

**D**Uplex solet alias à Philosophis constitui via, per quam nobis datur, acquirere conceptum verum vel falsum, propria nempe informatio, & aliorum institutio; priorem quod attinet, fundantur nostri conceptus in ipsis rebus in-

in quantum illæ cognoscētibus nobis exponuntur, cum quibus si concordent conceptus, veri sunt, sīn minus, falsi. non quidem quod res proprie sīnt falsæ, sed quod *improperie* & per *denominationem extrinsecam* dicantur fallæ, quando falsitas, quæ ipsis rebus tribuitur, est in ipso sensu vel intellectu circa res occupato, vel similitudine rerum, vel alia de causa decepto. Idque vel *occasionaliter*, ratione similitudinis ad rem aliquam veram; ut cum lumen in jride, rubedinem matutinā vespertinam, & alia quædam meteora emphatica aspicit homo, judicat colores ibi adesse reales, qui tamen reales non sunt sed apparentes 2. *Objective* quando conceptur objectum falsæ opinionis, ut idolum, falsus est Deus, quatenus pro Deo habetur. 3. *Defective* quando res aliqua deficit a norma, cui deberet congruere, ut monstrum in naturalibus, item res ab arte deficiens, seu disformis arti. Alteram autem viam multos ingredi, & plures per illam errare nullus negabit, qui feliciter illorum scripta oculis perlustravit, qui adeo sese unius sectæ auctori vel auctoribus manciparunt, ut ab illorum placitis recedere ne vel tantillū ipsis liceat. Durum prorsus jugum & liberis intollerabile, quod sibi imposuerunt illi philosophi, qui potius cum uno errare, quam cum aliis bene sapere volunt. Verbis ita Autoris sui adhærent, ut illa tanquā oracula, ceu de tripode fuissent pronunciata, excipiant, piaculum fere ducentes, quidquam illis contradicere: attendunt non tam quid aut quam vere dictum est, sed in eo, quod hic vel ille dixerit, subsistunt; contra omnem libertatem, liberi ingenii, quod non tam hominum auctoritate, quam naturæ luce subnixum, solute & libere in vero exquirendo versatur. Hanc libertatem ex ignava quadam credulitate & cœca, erga Aristotelem, obedientia, ab antiquis

quis quibusdam Philosophis fuisse omissam & prorsus amissam non sine causa notant recentiores. Quippe sit Aristoteles illud receptaculum, in quo sapientia suum fixisse videtur domicilium, sit illud exemplar (ut suum extollit autorem averroes, cum suis asseclis) quod natura invenit ad demonstrandam ultimam perfectionem, sit summus Philosophorum imperator, sit Philosophici Regni, sapientiae & laudis literariæ aquila, sit deniq; vir omni laude major, omniq; calumnia potior, quibus elogiis ornat ipsum Scaliger, non tamen nobis erit, *norma veritatis*, cum vel ipse fatetur mentis suæ aciem imbecillem esse ad investiganda omnia naturæ penetralia. *Vid. Gocl. in Epist. ad N. Taur.* ejus de rerum eternitate, libris praefixa. Praeter alia aliorum perplurima testimonia, quos non praeconceptæ hæc de Aristotele opiniones occupaverant. *Bodinus* nihil vidisse Aristotelem in intelligilibus, & rerum ne millesimam partem tenuisse, tradit. Cardanus inquit, ad rerum, quæ in natura sunt arcanorum doctrinam minimus & quasi nullus habendus, cui aestimationi qui non credit, prorsus stultus est. Sed sint hæc aliorum qualia cuncta judicia, nos Aristoteli nec omnia tribuenda, nec omnia demenda censemus. fuit enim homo, qui humana potuit pati & revera passus est. Hoc tamen dicimus, quod ipsius discipuli nimis fuerunt proni ad acceptandum hoc ejus dicterium, *discentem oportet credere non dubitare*, dum effeminata quadam quasi diffidentia in magistri autoritate acquiescebant, & non ad rationis & sensuum trutinam dicta expendebant: quo factum est, ut omnem amiserint libertatem philosophandi, & modo quodam servili, alieni capitis mancipia se ipsos fecerint. Rectius autem hac in re fecit Cartesius, qui nulli sua dogmata obtrudere, nec quic-

quicquam affirmare aut ab alio credi voluit , nisi quod i-  
psi evidens & invicta ratio persvaderet. *Princ. p. 4. art.*  
 207. De cetero , quod attinet ad Philosophiam Cartesia-  
 nam suspendimus nostrum judicium , aliorum , de re tam  
 grandi , expectantes censuras , quas passim in scriptis , tam  
 Theologorū quā Philosophorū deprehendim⁹ tales : Phi-  
 losophia hæc nititur principiis plusquam pelagianis : Au-  
 tor ipse Socinianis aperte patrocinatur , ut non mirum  
 sit & Socinianos , & Arminianos , & Anabaptistas de hac  
 Philosophia sibi tantopere gratulari . Et quis unquam  
 fuit atrocior hostis orthodoxæ fidei ejusq; mysteriorum  
 isthoc homine Cartesio ? & quæ alia sunt hujusmodi , quæ  
 passim apud maximos ævi nostri Theologos , extant judi-  
 cia , Vid. *Joh. Adam ofland. collegium considerationum in dogmata*  
*cartesianorum* , ut & *D.J. Alberti tract. de Cartesianismo & Coccenianismo* ; quibus nos nihil addimus , sed omnia ad illos remitti-  
 mus , qui de aliis judicare & debent & solent . Nos in-  
 terea memores nostri instituti , pedem heic fi-  
 gimus , candidam a candido lectorre  
 expectantes censuram .



Εἰς τὴν Διατελεύτην μετὰ τολμῆς ἀπελεύθαις καὶ φιλοτομίας,  
τηγραφιμένην ἀπὸ τας κυρίας ΡΙΓΓΙΟΥ,  
τα φίλα μα πριωτάτα.



αὐτοι Πιστίμη μὴ κεχωρισμένη ἀπὸ τα ψεύδεται,  
τῶν σφαλμάτων καὶ λεμμάτων τῷ ψεύδει  
οἵσι ἀκολεύθεντω παντρία ἐ σφίσια Φαινε-  
ται, οὐχὶ π δει γαρ τοις καλὺς τὴν καλὴν ἀλή-  
θειαν ἐν τῷ βάθει φρέατοι κεκρυμμένην θε-  
νατοπάσιν. δύσκολον γάρ ἐστιν ἀλλα καλὸν τὴν  
ἀλήθειαν ἐν τοῖς Θεωρητικοῖς μίαν ἔρευναι, τὸ  
ψεύδεται τοικίλον φένυγεν. ἐλευθέρος γάρ ἀνδρός δοι τὰ ἀλήθεια λέγειν  
καὶ τὰ κρυπτὰ ζητεῖν, ὅπου ψεύδεις μιστῇ πᾶς οφθός καὶ χρήσιμος.  
ὕτως ποιητες τας πόνησι τας κινδύνους καὶ ἀλλα φοβερὰ ὑπομένοντο  
παρουσλέων. πάντα πεποιημένοι ΡΙΓΓΙΟΣ τῆς ποιείας καὶ καλοκατ-  
ερθίας πάντοτε σπεδαιοτάτοι, ὑπὲρ τὸ λαβεῖν δόξαν πεποίηκε,  
ῶστερ δέ τε σπασδαίς διπλοποιητὸς πονηρῆ ἔργυς τῶν οικεικῶν ὅπιδυμι-  
ῶν ἢ τὰν ὁδῶν σκολιῶν ἀπέκεισα καὶ τῶν ἀριστῶν ἀτράπων πρὸς  
τὴν ὄρταζητα καὶ ἀλήθειαν αἴγονταν ἀντέχεσαι, καὶ μηδαμῶς περὶ  
τῆς βοηθείας τας κυρίας παντοκράτοροι, ἀεὶ ἀραδοῖς πάσιν, εν πᾶσι  
καλοῖς ἥργοις βοηθεῖται. ὡς ἐποιεῖται ἀνίκητον τε καὶ ἀκίνητον  
ιννὸν ἐν ταῖς σπασδαῖς ἀπὸ βρέφεραις ἔδειξε καὶ ἐν τῇ συζητήσει παράση-  
μενοίς καὶ πᾶσιν ἵχνεστ τὴν ἀλήθειαν ζητεῖ. Σπινον ἐν κατεπησοῖ  
οι ἐνδόκιμοι ὡς ἕρξω, καὶ δώσεις τοι ὁ μέγιστος μισθωτωδότης τῆς  
παιδείας σα, καρπετας ἀξιωτερέπεις καὶ φυλάσσοις σε ἐν τῇ ἴδιᾳ παρά-  
σῃ, ἵνα μετά μεράλης χαρᾶς οἱ γονεῖς ὑγιεῖς, ὑγιάνοντα ὃντι ἴδωσιν  
Ἐρρωσο!

Ita Clarissimo ac pereximio Domino Candida-  
to, amico adamando & honorando  
Iubens gratulatur

CAROLUS N. HODRI  
Wexionensis.

Pereximie Dn. CANDIDATE, Fautor & Amice  
sincera fide colende.

O stendis nunc Amice perdite, vim intellectus in Angelis mi-  
ritifice eluentem ut simul ostendas vigorem intellectus huma-  
ni, quippe infallibili causarum & effectuum serie persvasus, eo  
jam cogitationes tuas elevasti, ut non veritus sis alta ingenii inda-  
gine rimari ea quæ intra tot recessus, tot anfractus & labyrinthos  
claustra, acuta Philosophorum ingenia defatigarunt; & collectum in  
de cognitionis thesaurum, hujusmodi Disputatione comprehendisti,  
in qua aureo vinculo sapientissime connexa & pretiosis margari-  
tis lavavissime adornata, resplendent atque eluent, ea quæ scientifice &  
perspicue declarant angelos esse templa pietatis, aras justitiae, asy-  
la sanctitatis & Domicilia sapientiae. Quid hoc aliud quam tacite  
ostendit quantum homo etiam sphaera intellectus sui valet, dum  
nullæ admittantur nebulae innati vigoris splendorem misere offu-  
scantes; quippe qui, detestandos bacchi sinus, abominandos am-  
plexus veneris, nefandos desidiae nidos, vero virtutis studio præ-  
ponant & ingenium suum ad quævis vitia laxant non possunt his  
radiis illustrari. Hoc satis superque ostendunt Bambaliones illi, ve-  
spertilioes famaque vespillones, qui contemto hoc quod sint æ-  
ternitatis germina & typi, eiusvis vitii circulum incaute ingredi-  
untur, nihilq; ad votum eorum actum est nisi cum ad nefanda facinora  
provolarint, cælum armis territarint, stentorea voce clamarint elatiq;  
in omnes fastu insultarint & crescente virio induerint vel naturam  
leonis ut soeviant, vel vulpis ut fallant, vel lupi ut rapiant. Hæc est  
ciræa illa vis, qua homo misere transmutatur in speciem bellui-  
nam, in gurgitem vitiorum, in sentinam turpitudinis, voraginem ne-  
quitiarum, & cloacam foedissimarum libidinum. Horum sciol-  
orum sordidam si quis arguat vitam, de vano fortunæ suæ choragio  
eristas erigentes sub specie virtutis propriam inclamat conscienti-  
am tanquam suæ diligentiae testem. Quam si accurate inspiciant  
deprehendunt eam esse, quam Dæmones exagitant, universitas con-  
demnat, cœlorum fulmina conturbant. Verum enimvero Tu A-  
mice in paucis dilecte vitam tuam inter bonæ conscientiæ & rectæ  
rationis polos rotasti, pietatis zelo in virtutum exercitiis te oblecta-  
sti,

sti, saluberrimorum lectionum marra vitiorum spinas, vepres & in-  
felix illud lolium ignorantiae extirpasti, segetem noxiis herbis ex-  
purgasti, in volu<sup>t</sup> pudorem, in verbis fidem, in omni actione de-  
centiam observasti, quod novit de facili qui non noctu<sup>t</sup> instar  
solis ad lumen caligat, novi & ego optimè, qui svayissimæ Tuæ  
conversationi a teneris addic<sup>t</sup>us fui, proinde ad lares redi<sup>s</sup> nunc,  
proficuus patris, proficuus parentibus, proficuus cognatis &  
agnatis, proficuus denique omnibus bonis tantum virtutis spe-  
cimen, dignis elogiis sincere depraedicatoris. Hæc cum jam ita  
sint, amice in paucis perdilecte ut novo hoc felicitatis incremento ad-  
au<sup>t</sup>us, longam vitæ teras orbitam, in commodum Reip. piorum.  
solatium, cognatorum decus, candido pectore sincera mente vovet.

Tuus ad cineres  
B. ULHOLM.

---

Præcellens Petrus	Præstans	Pietate	Per ampla
Edidit Egregium	Exemplum	Ecce Ergo	Exulet Error,
Themaq <sup>t</sup> Testatur,	Te Talia	Tanta	Tueri
Radix Rectorum	Radians	Rege Rite	Regendum,
Ulterius Vovo	Vitam	Virtute	Virentem ,
Splendida Suscipiant	Surgentia	Sceptra	Scienter!

SUNO M. THELIN, Smol.S.R.M.A.I.

